


61
G 14m
R

GALEOTTVS MARTIVS NARNIENSIS, DE DOCTRINA PROMISCVA.



LVGDVNI
APVD IOAN. TORNAESIVM.
M. D. LII.

AD LECTOREM.

ETSI meum institutum fuerat, cùm ad hanc, quam mihi nactus videor, Spartam exornandam vocarer: vt præstantissimos veteres scriptores à tineis & blattis vindicatos ex impressione repræsentarem, cùm tamen omnes meos conatus ad iuuanda studia conferendos censuissem: non putaui eas recentiorum Latinorum elucubrationes negligendas, è quibus iuuentus sibi fructum satis vberem polliceri possit. Quam etiam ob rem passus non sum Galeottum Martium hominẽ insigniter sua ætate doctum diutius in tenebris iacere: præsertim cum viderem duabus potissimum de causis me idipsum facere debere: quòd & liber hic non tam inscriptione sola (hæc enim doctrinæ varietatẽ pollicetur) cõmendandus erat: atque reconditarum rerum cognitione planè amandus ac ab o-

mnibus diligenter euoluendus. Videtur enim capita quædam ex grauiorib. disciplinis non aliam ob causam sibi tractanda proposuisse Galeottus, quàm vt ostenderet neminem ad optimorum autorum satis plenam intelligentiam peruenire posse, qui in omnib. liberalib. disciplinis non esset diligenter versatus. Altera verò quæ me ad editionem huiusce libri permouebat, causa erat: summa mea in gentem Mediceam tum obseruantia, tum pietas: quòd animaduerterem nunquàm satis laudatũ Heroem LAVRENTIVM MEDICEM hoc toto volumine valde celebrari: è cuius Bibliotheca iam extractum Galeottum tibi Lector studiose legendum proponimus, ea fide & integritate qua id è tam deprauatè descripto codice (quem unicũ habuimus) tantisq. occupationib. fieri potuit. Si quæ tamen à cursorib. effusa menda occurrerint, illa eiusmodi plane sunt, vt vnusquisq; ea ipsa à vitio vindicare facile possit. Reliquit idem hic autor inter varia à se conscripta volumina, vt hoc obiter addam, libros multiplici eruditione refertos De rebus Incognitis vulgo: quorum non solum in hoc libro meminit autor ipse,

ipſe, ſed etiam clariſsimus vir Ioachimus Vadianus meus in ſuis doctiſs. commentarijs ad Pompō. Mêlam teſtatur eoſdem à ſe lectos: quos ſi aliquando nacti fuerimus, libenter tecum communicabimus. Interim præſenti hac oblata commoditate fruere ac Vale.

DECIMI PAVLI IOVII IMAGINVM LIBRO.

GAleottum Martium Narnia genuit, robuſto ingenio diſciplinas omnes cōplectentē. Is Matthiæ Coruino Pannoniæ Regi præceptor, Epiſtolarumq; Magiſter, & in caſtris Miles, & in Paleſtra multarum palmarum Athleta fortiſsimus operam præſtitit, adeo feliciter, vt omniū horarum amicus, & comes haberetur. Scripſit librum de Homine, varia eruditione potius quàm eloquentia mirabilē, in quem non multò poſt inuectus eſt Georgius Merula Grammaticorum exactiſſimus: Sed ea uehementia Galeottus ſe ſe defendit vti Apologeticus priore libro varietate eruditionis multò vberior cenſeri poſſet. Scripſit etiam, & malo quidē

infortunio, quædam in ſacra, moralique Philoſophia, nam ex ea lectione, quum omnibus gentibus integrè, & pariter veluti ex iuſta naturæ lege viuentibus æter nos cęleſtis auræ fructus paratos diceret, à cucullatis ſacerdotibus accuſatus, damnatusq; eſt: Sed eum periculo celeriter exemit Xyſtus Põtifex, qui in minori for tuna eius fuerat Auditor, non ſine graui tamen contumelia: Nam in foro Veneto ad geminas columnas ad Tribunal perductus eſt, vt impetrata venia ſe falſa ſcri pſiſſe fateretur. Sed accidit, vt id iudiciũ exortus in turba riſus euerteret: ſalſo, ac repentino Galeotti dicterio excitatus. Nam quum fortè non ignobilis Venetus, è turba proximus ſtrigoſa proceritate, & impudicæ uxoris probro inſignis, traductum ludibrio præpinguem porcum appellaſſet: extemplo Galeottus, renidentiq; ore: pinguis, ait, porcus, quàm macer hircus eſſe malo. Erat enim Galeottus vſque adeò tumẽti abdomine, vt quum ſub vaſto obeſi corporis pondere, vel prægrandia iumenta fatiſcerent, rheda curuli veheretur: ac demum ſenex ad Montem Annianum circa Ateſte, aruina ſuffocatus interiret.

IANI VITALIS.

HANC *Galeam, hunc posuit Galeottus* Mar-
tius ensem
Mars tibi, & hanc citharam docto cum pectine
Musis,
Militia functus, decantataq; poësi.

A 4

ELENCHVS CAPITVM.

*

FINIS.

GALEOTTI
MARTII NARNIENSIS
Liber, de Doctrina Promiscua, ad magnificum Laurentium Medicem.

PLVRIMA *sunt Medices Laurenti, quæ Mediceorum familiã iandudum illustrarunt, reddideruntq́; toto orbe clarissimam, et hæc quidem claritas non nisi ex cumulata nobilitate eluxit; quandoquidem notitiam laus, laudem verò recte factorum magnitudo produxit. Hæc etenim Mediceorum familia, virtutibus & diuitiarum antiquitate, veram amplamq́; nobilitatem adepta profectò est: virtus olim in multis & tunc maxime claruit, cũ sui & reip. acerrimos potentesq́; hostes sæpe non modo vicit, sed obtriuit: Nam reges pontificesq́; summos sapientia pariter & autoritate pollentes partim demulsit, partim ita repressit, vt huius amplissimæ familiæ amicitiã deniq; exoptarint: Hinc postea factum est, vt Innocentius pontifex maximus ingenio, magnitudine animi, rebus gestis & nobilitate præclarus, vt infrà latius patebit, aliorum pontificum*

tificum gesta collaudans, te virum magnificum prudentia ac doctrina ornatum, non modo in amicum, sed in affinem asciuerit: dum enim Francisco viro summo & claro, & genere suo dignißimo tuam filiam matrimonio copulauit: sed de his aliàs. Tuam igitur Magnifice Laurenti familiam, quam Mediceorum diximus *præclarißimam esse, et cunctis principibus summa cum laude notam non sine causa asseueramus: nam cum totam ferè* Europam *peragrauerim, adierimq; & reges & principes maximos, cum sermo de claris viris ortus est, quàm primum in medium venit* Mediceorum *familia: est enim non modo ætate nostra, sed multis iam retro seculis vnicum naturæ opus.* Reges *enim & principes, quorum maximus numerus in orbe est, ubiq; occurrunt, ita vt princeps de principe & rex de rege nunquã cum admiratione loquatur, immo potius rerum gestarum commemoratio liuore non carens, diminutionem patiatur necesse est, quoniam nec rex regi, nec princeps principi in gloria cedere vult: sed cum* Mediceorum *familiam, te'que* Magnifice *Laurenti cum admiratione intuentur, interrogant, qua facie, quo habitu, quo apparatu incedas: nam ciuis ciui, & par pari inuidet. sed cum te eum esse cognoscát, vt nec in numero ciuium, nec in numero principum reste annumerent, &*

& ta

& tamen legibus vtentem, patriæ deditum, minimis summisq; gratissimum: vrbis Florentinæ magistratus reuerendum, ciuem optimum iudicăt. Cum verò animos regios, summas diuitias, liberalitatẽ maximam, omnium bonorum præsidium, doctrinarum columen in te esse cognoscunt, inter summos te principes habent: adeo vt natiuam illam tuam sapientiă moribus & doctrina excultam, plurimarum rerum vsu exercitată, magnificentia pollentem, cunctis hominibus admirandam proponant: ita vt homo inuentus sit, qui nec rex, nec princeps, nec nisi ciuis magistratibus obediens, & reges & principes maximos potẽtia exæquet, adeo vt in exẽplum in dies nomen familiæ veniat, quoniam ab ea & studia literarum, & religio, & templa diuina, & ornamenta vrbium, & bellorum pacisq; commoda & aucta & culta semper fuere: Nă quocunque oculos vertas, etiam locis maximè distantibus, opus aliquod egregium à viris huius familiæ factum videbis: Insigne familiæ positum pro titulo est, cum enim clipeum septem orbibus ad imitationem planetarum ornatum conspicimus, ita vt aut pictura aut sculptura illustretur, quàmprimũ id Mediceorum familiæ opus esse iudicamus. Quis igitur non miretur magnifice Laurenti tuam mentem, iustam, integram, in tuenda conseruandaq; patriæ li-

bertate, legibus ciuitatis sine aliqua cunctatione parentem, ita vt illuc quò mos patrius, reipub. honor & emolumenta ducunt, libentißime proficisceris: sed vbi donationes & magnificentia munerum & regia liberalitas expostulantur: animos regios ostendis. Indicant *enim hoc magnifici apparatus, ædium amplitudo, oppressorum subleuatio, pauperum ditatio, doctorum hominum exaltatio, militum ac ducum strenuorum magnificatio, & maxime vbi de patriæ honore agitur, quæ omnia non modo inter reges te locum habere, sed inter præcipuos numerandum esse testantur.* Nam *fortaßis plerunq; nonnullos (de potentioribus loquor) non iudicium animi, sed donandi consuetudo liberales efficit, & hinc nascitur inconsiderata largitas, vt tam summis quàm infimis paria munera præbeantur: & eiusmodi principes improbare minime ausim, cùm sedulitatem artium quoquo modo honorant, sed eos maxime probandos arbitror, qui impares doctrinas imparibus muneribus prosequuntur, sicuti in magnifico* Laurentio *sæpe conspeximus, cuius acre iudicium doctrina pariter & naturali sapientia excultum pro hominum scientia, pro facultate & mensura literarum præmia diuidens, vnumquenque ad amplitudinem disciplinarum inuitat.* Recte *igitur*

Medice*o*

Mediceorum familia nomen hoc cælitus delapsum obtinet. nam bella manu pacemq; gerit. ea medicamenta, per omnem & Italiam, & regiones alias spargit quando vult, vult autem cùm opportunum est, quibus alios sopit, alios verò excitat, nonnullos dormitantes reddit. Nam si inflammat, si hebetat hominum animos varietate medicamenti vtens pro hominum habitudine, numerosos & admirandos quidem effectus procreat. Quotiens in Italia medicamentis Laurentij subito exortum bellum, quotiēs etiam hac eadem vi insperatam pacem conspeximus? Hæc igitur Mediceorum familia furores cum libet concitat, & concitatos reprimit, animos hominum & ad sanitatem & plerunque ad ægritudinem trahit, vt dicere possimus, Nō hæc sine numine diuum eueniunt. Sed cùm ad tuum me verto nomen, cælitus impositum esse assero, ab ea enim arbore oritur, quam fulmina non attingunt, vnde & lauream ortam videmus: quæ tantæ prærogatiuæ cernitur, vt à cæteris arboribus adiectiua manantia per se manere non possunt, vt saligna, orna, querna, oleagina, abiegna obscuritatem parient, nisi materiam, aut coronam, aut aliquid tale subiunxeris. Laurea verò materiam pariter formamq; gestitans per se, sine adminiculo substat: laurea igitur Laurentio optime conuenit, nomenq; formauit:

quoniam suopte ingenio, suisq; diuitijs pollens, ex se ipso substat. Quis enim non recte adhæsisse Laurentio nomen hoc putabit, nisi is qui laureã & ducum & vatum ornamenta negabit? immemor Statij, qui ait: cui geminæ florent vatumq; ducumq; Certatim laurus, olim dolet altera vinci. Militia enim et doctrina hoc fautore semper sunt vsæ: Nam res bellica & studiorum literarumq; cura Laurentio duce & vate exultant, & vt sequentia indicabunt Mediceorum nomen familiæ astra indiderunt. Sed hoc opus nomine tuo compositum ac dicatum, cui titulus est de doctrina promiscua, ecclesiæ catholicæ subijcimus, vt si quid in eo reperietur, quod à fide Christiana declinet (nihil autem est, quod sciã) id omne arbitrio pontificis Innocentij Octaui vt me meaq; omnia submitto. Ipse enim genere & patria clarus, vt in cæteris summa sapientia vsus est, ita in his nostris quanquam minima sint, à suis integris probatisq; moribus non discedet, pontifex nanq; maximus dei in terris potestatem gerens sese vicarium dignissimum effert, illumq; pro viribus imitatur qui in altis habitãs humilia respicit in cælo & in terra. Nam in principio pontificatus, qua generositate animi, quaq; cordis excellentia fuerit, omnibus maxima cum laude indicauit: nullus enim minis aut terrore commotus, ausus est omnem Italiam nu-

tu suo

tu suo concutere, & concussam pacare, cum hostes obtriuit, & confugiẽtes ad se clementissime suscepit, animos imperatorios pro tempore induens, pontificis benignitatem exuit nunquam, supplicibus veniam largiens, contumacibus resistens, in mente sua aliquid reseruans contra proteruius agentes, adeo vt & genere suo & Genua vrbe clarissima, & pontificatu maximo dignissimum se declarauerit. Nam cum sit sapientia clarus, iustitia conspicuus, pietate integritateq́; vera omni simulatione exclusa praeditus: totum orbem quasi numen cælitus delapsum illustrat: nanq; in illa maiestate corporis pontificatu pariter & imperio dignissima, nullus fastus, nulla arrogantia, nulla de se falsa persuasio regnat, sed clementia & benignitas cum admiranda affabilitate etiam infimis communi dominantur & viget. Ab hoc igitur dux Franciscus, cuius suprà meminimus, Laurentij gener originem ducens, ante pontificatum Innocentij animos regios ostendebat, etiam cum facultas aberat, sed posteaquàm imperium adeptus est, insitam à natura animi magnitudinem liberalitate & magnificentia illustrat, in gerendis negotijs strenuus & ducis & militis cum opus est officium præstans, militiæq́; peritiam indicans: doctis clarisq́; viris fauens, & genere suo, & socero Laurentio, et principatu dignissi-

mus iudicatur, humanitatem enim illam à natura insitam dimisit nunquam, fortunarum tantum mutatio facta est: sed hæc quæ de te Medice Laurenti, & pontifice Innocentio, & de genero Francisco diximus non auditu, sed visu percepimus. Nam cum his omnibus familiariter vixi, & omnibus ferè Europæ principibus de te, patre, & auo, & de amplißima Mediceorum familia sæpe prædicaui: Vnum tamen in huius sermonis fine admonemus: propter rerum varietatem, quæ in libro est, coacti sumus nonnullorum testimonio vti, quorum interpretes minime idonei sunt in lingua Latina, coactus sum verba quædam mutare, ne aliquid inseratur non Latinum. Præterea in hac præfatione principem pro domino sæpe consulto posuimus vt nomen bonæ famæ.

DE NOMINIBVS PROPRIIS HOMINVM AB ASTRIS IMPOSITIS

CAPVT I.

*



AM diu apud ſapientes & maximè Platonẽ quęſtio agitata eſt, nomina propria voluntarius ne motus, an fatalis quædam ratio imponat, an vtrunq; in nominis impoſitione concurrat. Nam cùm Hectorem, Tantalum, alioſq́; innumerabiles ferè, qui Phryges fuere, conſideramus, ea habere nomina intuemur, quæ eorum affectus & futuras actiones indicarunt, ita vt in die luſtrico quo nomen imponitur, omnem vitæ ſeriem pictam quodammodo in denominatione geſſerint. Hector enim poſſeſſor, vt qui patriæ poſſeſsionem tutatus eſt, cui hęres lege futurus erat, ſi fata non intercepiſſent. Tantalus verò quaſi talantarius, hoc eſt, infelicisſimus teſtimonio Platonis appellatus, aduerſa enim plurima viuenti contigerunt: nam ſubuerſa patria ſaxũ in caput imminet, quod

durissimæ sortis esse cognoscitur, cui quidem sermoni de Tantalo Lucretius inter poëtas astipulatur. tertio enim libro ait,

Nec miser impendens magnũ timet aëre saxũ
Tantalus, ut fama est cassa formidine torpẽs.

Sed alij hanc pœnam Sisypho tribuunt & de ipso aiunt,

Et in medijs sitiebat Tantalus vndis.

Sed dicerent nonnulli, cum lingua Phrygia in nullo cum Græca concordet (ut secundo Aeneidos poëta testatur,

atq; ora sono discordia signant)

Vnde est quòd Græcam habent etymologiam? quod facilè absoluitur. Homerus enim Græcè expressit nominum Phrygiorũ vim ac potestatem, ita vt Priamum quoq; vocitarit regem Troianum, quoniam apud Phryges nomen tale habebat, quod Græcè redemptum sonaret, fuit enim tempore Laomedontis in Troiæ euersione captus infans & redemptus, sed hoc quo ad nomen Phrygium. Cùm verò de Græcis loquimur non occurrit huiusmodi ambiguitas: nam Agamẽnon, mirabilis perseuerantia, Atreus indomitus, inexorabilis, noxius dicuntur, quæ nomina die lustrico imposita omnem vitæ

cursum

cursum in sese habuisse noscuntur. Sed horum nominũ impositionem fecerũt, vt par est credere, doctissimi mathematici, qui apud potentes reges versati inspecta natorum genesi, futuræ vitæ idonea nomina accommodarunt: Fuisse autem reges olim in omni genere doctrinæ eruditissimos, ne aliquis hæsitet, in memoriã reuocentur Mercurius Trimegistus, Mithridates rex Ponti, & alij plurimi, Atreus quoq; matheseos peritus asseritur: artesq́; diuinandi Troianis olim fuisse familiares, & Helenus vates & Cassandra testantur. Præterea etiam apud nostrates vaticinia fuisse familiaria, nemo ignorat: Numa enim Pompilius hydromantiam exercuit. Actius Nauius augur, qui cotem nouacula scidit, nonnihil diuinationis habuerunt. Hæc omnia cum astris commercia tenuerunt, & cum de perito augure loquũtur, astra quoq; admiscent, vnde poëta Virg. de Heleno:

Qui uolucrum linguas, cæli qui sydera sentis.

Et Spurina Cæsarianus augur & astrologus Idus Martias cauendas prædixerat, & oraculum Apollinis, quo totus orbis confluebat, futurorum lumen & declaratio habitum est. Non igitur mirum si

ea tempestate tanto in vsu artes diuinæ fuere. Ad rem igitur nostram ut reuertamur, nomina propria virtute cælesti imposita nec fallere nec falli posse: secum enim futurorum negotiorum significata habent, quod ex sacris literis facile est intelligere: quibusdam enim superna inspiratio nomen, etiam antequàm nascerentur, imposuit, vt sunt Ismaël, Isaac, Solomon, & Iosias, vt legenti sacram scripturam facilè, id quod diximus, occurret. his enim antequam in lucem venerint gerendis rebus apta denominatio cœlitus est accommodata: & Ioannis Baptistæ pater diuino spiramine afflatus & admonitus dixit, *Ioannes vocabitur*, cùm nullus in eius cognatione hoc nominis habuisset. Sed vt ad nostra reuertamur, non'ne fatalia nomina apparent Aristoteles, Galenus, Melampus, Epicurus, Hippocrates, & hi quidem Græci? & nostrates Camillus, Scipio, Cæsar, Pompeius, & alij ferè innumerabiles huiusmodi nomina habuisse apparent. Nam Aristoteles, id est, optimus finis, philosophorum princeps, ea nobis tradidit, quæ ad beatitudinem optimumq; finem ducunt: humanarum enim rerum contemptum, & cœlestium

appetit

appetitum,& mentis illustrationem testimonio Empedoclis philosophia præstat, quæ ad beatitudinem vehunt. Galenus, id est, tranquillus, medicorum princeps, vt Auicenna testatur, sanitatem aut seruans, aut restituens, tranquillitatem humano generi præstat: tranquillitas enim hominum vitam oblectat, imo ipsa est vita. Nam ex sententia poëtæ, non est viuere,sed valere vita. princeps igitur medicinæ Galenus, hominum statum in sanitate illæsa & tranquillitate locauit. Melampus, vates ille & medicus, nigra plãta aut pes syderali influentia dictus, quoniam filias Prœti atra bile percitas ita insanientes vt se vaccas putarent, de quibus poëta,

Prætides implerunt falsis mugitibus agros.

hellebori nigri planta sanaturus erat, & ita testimonio Plinij fecit. Sed nemo admiretur huiusmodi insaniam rationem plerunque turbare, nam melancholiæ vis tanta est, vt sæpè acciderit, testimonio Galeni & Auicẽnæ, homines hac atra bile percitos putasse se esse vasa fictilia, & ideo hominum tactum reformidarunt: & quidam cum hoc eodem incommodo agitati, se esse aues arbitrantur, ita vt non

se mo

se moueant, nisi motis brachijs ad alarum similitudinem volare credant, insaniarum enim numerus est pene infinitus dicente Auicenna, & Satyrico non tacēte. Non vnus mentes agitat furor. Epicurus adiutor dicitur, nam cùm inferorum pœnas vanas esse dicat, animas mortales esse ostendat, voluptatemq; bonum summum iudicarit, vt onerum exonerator & adiutor humanorum esse videtur. sed qui copiosius cōmoda ab hoc adiutore profecta intelligere cupit, legat III. Lucretij librum in quo ait de Epicuro,

Et tenebris tantis tam clarum extollere lumē
Qui primus potuisti, illustrans cōmoda vitæ
Te sequor ô Graiæ gentis decus.

In commodis igitur humanis adiutor datus apparet cum ea, quæ nos terrificant, vana esse conuincere conatur. De Hippolyto nihil in præsentiarum, nisi Ouidij carmen referam:

Hippolytum rapidi diripuistis equi.

Hippocrates, id est, equorum frenator, quem vltimo loco inter Græcos libenter posuerim, vt mentibus hominum inhærescat: habuit etiam fatatū nomen, equus enim inter bruta, quæ domari possunt, maximam habet ferocitatem, vnde & fe-

rus per excellentiam, cum dicitur, equus intelligitur. Ouidius libro Metamor.

-Medioq; è vulnere saxi
prosiluisse ferum. id est equum. & Virgilius secundo Aenei.

In latus inq; feri curuam compagibus aluum
contorsit. Hippocrates ergo cælitus nomen descendens is dictus est, quoniam egritudinum & ferorum morborum, qui sanabiles domabilesq; sunt, frena con tenturus habiturusq; erat. Inter cætera enim aphorismos tanquam oracula quędam edidit, quæ omnium malorum frenum retinaculumq; sunt, ita vt grassantes morbos & ferocientes domitando mitiores redditurus erat, & tandem, quo velit, vertat, quod medicorum est. Flectere enim morborum iam domabilium vim quò libuerit, peritissimi profecto medici est: Is enim uitam nostram in sua potestate habere dignoscitur. Sed his omissis, multa enim milia occurrent, aliquid de nostratibus inseram, quanquam propria Latinorũ occultioris significationis sint, vt in libro de homine declarauimus. Sunt igitur Camillus, Scipio, Cęsar, Pompeius, Tullius. Camillus vocabulo antiquo puer

ingen

ingenuus dicitur, hoc igitur vagum nomen astra proprium effecerunt illius, qui à Liuio verus Romanus appellatur, & qui tanta præstantia nituit, vt de eo Lucanus decantet:

-Veios habitante Camillo
Illic Roma fuit:

fata ergo illi viro nomen dedere, quod gerendis rebus præuium esset: omnis enim nobilitas, omnesque ingenui per eum tandem conseruati auctique sunt. De Scipione quid referã? cùm hæc communis appellatio propria effecta illius est, à quo Scipiones, & maior & minor, & alij quàmplurimi defluxere, qui columnę & sustentacula fuere, quibus resp. innixa sæpenumero est: nam quid Sciones egerint nemo profectò ignorat, quos & historiæ laudant, & poëta cecinit:

-Geminos duo fulmina belli
Scipiadas cladem Libyæ.

Scipio autem Latinè baculus est: puer enim ille & non alius, in quo cæcus cùm ducebatur, innixus est, eratq; ei vt baculus. Cæci namq; pro duce baculo vtentes iter explorant. Scipio dictus ab astris est, cùm multi aliàs cæcorum ductores hoc

nomi

nomine caruerint: Tale enim nomen huic proprium cæli effecerunt, quòd sustentacula Reipu. futura indicaret, alijs autem ductantibus pueris hæc appellatio defuit, quoniam futuris negotijs non congruisset. Cæsar nomen etiam vagum & aduentitium est, sed quocumq; te vertas siue ab occiso elephanto, siue à cæso ventre matris primus ille dictus sit, cædem secum affert: sed nulli inhæsit nisi Iulio Cæsari, cui hoc nomen astra tanquã adhærens & inseparabile indiderunt, ita vt ab eo in cæteros imperatores perreptauerit. quàm recte Iulio conueniat testantur historiæ: nam præter victorias ciuiles vndecies centum & nonaginta duo milia hominum occisa prælijs ab eo, vt testatur Plinius. Nomen ergo cædem secum afferens cœlorum efficacia Iulio tantam cædem hominum facturo à principio accommodauit. Pompeius autem cum ab oppido Pompeiorum descendens vagum nomen, patri prius aliquantisper, dein filio Pompeio Magno inhæsit, tanquàm homini qui Alexandrum superaret, & Herculem Liberumque patrem adæquaturus erat, à pompa triumphali quam futuram fata noscebant, appellatio-

nem

nẽ meruit. Eques enim Romanus, quod nulli ante ipſum contigit, curru triumphali vectus eſt. Tullius autem, quem Ciceronem dicimus. Stellæ quoq; nomen finxerunt propter futurum eloquentiæ flumen. Tullij enim aquarum proiectiones, & ſanguinis abundantia dicuntur teſte Feſto: nomina igitur aſtra, vt diximus, dederunt propter ventura negotia: & hos ex ſtellis fixis exaltationem habuiſſe finis oſtendit. ſtellæ enim fixæ teſtimonio Ptolemæi, mirabiles & ultra rationem felicitates tribuũt, ſed vt plurimum concludunt eas infelicitates Saturni. Nam Iulius Cæſar duobus & viginti vulneribus in ſenatu confoſſus eſt, libellumq́; inſidiarũ indicem ab obuio quodam porrectum, libellis cæteris quos ſiniſtra manu tenebat, quaſi mox lecturus commiſcuit, vt ait Suetonius. Sed Manilius quarto aſtronomicôn de Cæſare ait,

-Totiens prædicta cauere
Vulnera non potuit, toto ſpectante ſenatu
Indicium dextrâ retinens.

quod à Suetonio diſcrepat: hic enim dextra, ille verò ſiniſtra manu retentum indicem aſſerit, quod licet exiguum ſit, poſſitq́; ad acceptum indicem referri, tamen

volui

volui admonuisse, quia Suetonius etiam in maximis aliquando rebus delirat, vt ostendimus in libris de incognitis vulgo: vbi horoscopum de genitura Augusti retro supputatis tēporibus ereximus, in quo qua ratione illius ætatis mathematici futuram Augusti Cæsaris magnitudinem præuiderint, monstraui: Pompeij autem exitum infelicissimum & Lucanus deplorat, & illud Vergilianum Priamo ascriptum de Pompeii historia ortum putatur,

-Iacet ingens littore truncus,

Auulsumq; humeris caput et sine nōie corpus.

Tullij calamitosum finem, cùm caput & brachium vnà cum vita amiserit, multi deflerunt. Sed hucusque talia nomina attigimus, quæ uel à sapientibus imposita id gerebant in significatione, quod venturum erat: quoniam huiusmodi artes illis familiares fuere, augurum & aurusspicum & mathematicorum turba id præstabat, quod postea desijsse uidetur. Diuinatio siquidem testimonio Ciceronis, aut est ars, aut furor: sed quo pacto nōnullorum nomina arte aut furore imposita dicemus? cùm in plebeijs & mulierculis nullum diuinandi genus apparuit, & ta-

men filijs nomina dederunt, quæ gerendorum negotiorum præuia fuisse cõspeximus, quod facilè absoluitur. Diuinatio enim ex furore dicitur prophetia, quæ teste Cassiodoro est superna inspiratio, rerum euentus immobili veritate denũtians: quam in huiusmodi plebeijs & mulierculis in impositione nominis negamus fuisse, sicut artem etiam omnino defuisse cognoscimus. non enim ex astrorum cognitione, qua caruerunt rudes isti homines, nomina, cognito filiorum cursu, futuris rebus congrua dederunt. Nam apud veteres & celebres locos ubi Posthumius aruspex, Actius Nauius, Cornelius augur, Spurina, Amphiaraus, Chalcas, Sibyllæ, Martij fratres, Numa Pompilius, Idmon, Mopsus, de quibus Seneca:

Idmonem quàm ius Bene fata noscet
Condidit serpens Libycis arenis,
Omnibus verus sibi falsus augur,
Concidit Mopsus Caruitq; Thebis:

& ubi etiam prophetarum caterua enituit, ibi forsan hæc superiora factu fuerunt facilia. Sed vt de plebeijs & aniculis & imperitis hominibus sermonem faciamus, hoc nanq; & illis contigit, vt nomina futurorum præuia inconsultis & au-

guribus & mathematicis & oraculis neglectis, natorum inuenerint. nam influxus cæleſtis maxime mouet parum rationis habentes. Ratio enim humana valida potensq́; reluctatur, ita ut non omnia ſtatim homo effutiat quæ in mentem veniunt, ſed pueri, & fatui, & mulieres, ſtolidumq́; vulgus, cùm impetu aſtrorum agitantur, quod in mentem venit, ſine cunctatione enuntiant, hinc eſt quòd aliquando diuinant, & futura prædicunt: nam ſi homini ſapienti homo occurret, qui ad paucos dies infelici morte ſit periturus, & id ſibi motu aſtrorum in mentem venerit, animaduertens hoc ſine ratione ei cognita euenisse, nihil profectò dicet: puer verò, & fatuus, & mulieres, & leue vulgus, cùm tale aliquid in mentem venit, nulla ratione refragante enuntiat quod aſtra portendunt, & hinc nata eſt ſæpe diuinatio. plerunq; enim & Romæ & alijs in locis contigit, ut tradunt hiſtoriæ, vt victoria aut clades habita in locis maximè diſtantibus, eo die quo habita eſt, ſit ſcita Romæ vel alibi ex fama, cùm multis diebus volans quodam modo nuntius literas afferre nequiuiſſet. Is igitur, vnde hęc fama manauit, vi aſtrorum agi-

tatus id propalauit, quod animo insederat, ea propter in prouerbium venit, vt, Vox populi, vox Dei dicatur. Deus enim astrorum conditor cælis tribuit potestatem, quod & in Dauide legimus, Verbo domini cæli confirmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum, & in Deutronomio, Cælos in ministerium cunctis hominibus factos legimus. Tali ergo cælorũ instigatione huiusmodi viri & mulierculæ natis suis congrua nomina imposuere: Quòd autem nomen astra imponant, non leue argumentum est, cùm habitis coniugum, proprijs nominibus ex numeris in literas impositis, vter prius moriturus sit, facilè dignoscitur. nam nisi hora, copulatio, & nominum tributio ab astris essent, cessaret huiusmodi diuinatio. nam nomen syllabæ, syllabas verò literæ efficiunt, sed literæ abecedarij (vt Aurelij Augustini verbo vtar) planetis subiacent. Saturnus enim vt cæteris firmamento proximior, a.b.c. Iupiter d.e.f. Mars g.h.i. Sol k.l.m. Venus q.r.s. Mercurius t.u.x. Luna n.o.p. caput Draconis y. cauda verò z. sibi vendicarunt: sed non omittendum est, literarum ordinem recte seruatum esse præterquam in Luna

ſed hoc factum eſſe deprehenditur propter domicilia Solis & Lunæ coniuncta, ita & literarum ordo congruit, vt literas Solis literæ Lunæ ſubſequãtur, non quia Plato & eius imitatores Lunam in ordine planetarum poſt Solem ſtatim locarint, ſed Aegyptij & Phœnices, & poſteriores mathematici Solem in medio planetarũ quo ad numerum locauerunt. numero enim medius eſt, ſed diſtantia nequaquã. Sed quia de capite & cauda Draconis mẽtio facta eſt, aduertendum reor huiuſmodi nomina fuiſſe ficta propter virus quod in ſe habent. nam non eſt conſtellatio, ſed quædam interſectiones circulorum Lunæ & Solis longo tamen interuallo ſignatæ. nam Veneris & Mercurij cæli intermediant: & hæ quidem alicuius momenti ſunt. Venenũ autem in ſe vtraq; continet, quoniam caput naturam Mercurij imitatur: auget enim ſemper, nam bonorum bonitatem, & malorum malitiã adauget. Cauda verò & in natura opponitur vt caput caudæ, minuit enim ſemper: vnde fit vt cum bonis ſit mala: & cum malis bona: bonorum & malorum diminutionem faciens capiti aduerſatur, quòd cum bonis bonum, & cum malis malum

esse deprehenditur: venenum igitur illud capitis, quod malitiam auget, & virus caudæ, quod bonum imminuit, Draconis membra vt dicantur, effecerunt: huiusmodi intersectiones à iunioribus notatæ, & ab antiquis in significatione neglectæ, literas sibi vendicarunt, quæ etiam à iunioribus repertæ sunt, quibus carere poteramus: y, enim & v, idem: vt sylla & sulla idem nomen ostendit, & z, duplicis ss, vim obtinet. Sed vt ad rem nostram, quoniam de morte cõiugum mentionem fecimus, veniamus: in eis nonnunquam error cõtingit propter scripturæ varietatem: nemo enim ante experientiã discernere valuit, hoc nomẽ Bonifatius c, vel t, literã habeat, nam si à facio, habet c. si à fato verò deriuatur possidet t. c, autẽ & t, diuersum habent numerum, &, vt consequens est, potestatem: quandoquidem c, Saturnus, t, verò Mercurius occupauit: ille tardus, hic celer. Saturnus de natura sui malus; Mercurius verò varius. Saturnum coitus Solis maximè infestat, Mercurium autem parum lædit: vnde à poëtis nuntius deorum fingitur, quia eorum mentes & significata refert: deos autem vocant planetas, & tectum galero fingũt,

quoni

quoniam à Sole non valde offenditur, galerus nanque à Solis ardore defendit. Cótingit etiam error in ſcriptura, cum aſpiratione & geminatione conſonantium. nam apud vetuſtiſsimos nulla conſonans geminabatur, & in aſpirando ſolet eſſe diuerſitas, vnde hoc nomen Ioannes apud Hebræos, quorum propria eſt aſpiratio, gutture enim pronunciant, habet aſpirationem. Sed cùm ad Græcos tendit, non aſpiratur. Græcitas enim inter vocales non locat aſpirationem: vnde impoſsibile eſt apud eos aſpirari, ſed cùm ad Latinos venit, qui inter vocales (vt ahenum) aſpirationem locant, ad naturam ſuam reuertitur, ſicut in inuectiua contra Georgium oſtendimus: eadem enim ratio eſt, ſi dictio Hebræa q, literam haberet, & ad Græcos tenderet, nó poſſet per eam, qua Græcitas caret, literam ſcribi, ſed ſi illa eadem ad nos transfertur, cùm hanc habeamus literam, dictio ad naturalem ſcripturam reuerteretur. Geminatio igitur conſonantium, & appoſitio aſpirationis numerum augent, qui inter coniuges morituros diiudicat, & aſpiratio Martis eſt, qui malus habetur. Ex his igitur cauſis in ſupputatione numeri literis attributi con

tigit varietas, quæ veritati aliquando aduersatur. Sed inter omnia quæ ad hanc rem nostram conueniunt, illud magicum indissolubilis argumenti est, nominum ab astris impositorum: erat enim apud antiquos, vt Macrobius quoq; attestatur, hæc religio, vt cùm vrbem oppugnabant, à vatibus intelligere conabantur, cui genio, & quibus spiritibus vrbs illa esset cómendata: & hoc intellecto, spiritus quibusdam sacrificijs eliciebantur, quibus elicitis promittebant illam incolumen restituros fore, si à fauorę urbis desisterent. Genius enim semper curam gerit eius rei cuius est genius, hoc autem nequaquam fieri potest, nisi sciatur propriũ nomen illius vrbis: spiritus enim addicti ex astris nomini proprio, nunquam eliciuntur, nisi nomen loci propriũ audiũt. & ne hoc aduersus Romam per hostes fieri posset, semper proprium Romæ nomen maxima cura celatũ est, ita vt nemo propalare impunè potuit. nã si genij, qui curam habebãt Romanæ ciuitatis, audiebant Romam siue valentiam, siue Vrbem, quæ appellatiua loci & non propria sunt, non mouebantur, & hoc pacto nulla unquam spirituum euocatio fieri potuit,

vt eti

vt etiam testatur Macrobius: nomen igitur proprium etiam in rebus amatorijs necessarium est, ita vt si tempus & locus pateretur, declararem illud Vergilianũ, ex centro artis magicæ depromptum:

-Ducite ab vrbe domum mea carmina ducite Daphnim.

Cùm igitur ab astris nomina propria nascantur, quis dubitabit Mediceorum familiam sydérum vi ac potestate hoc nominis habuisse? Fuit enim & est totius orbis medicamẽ ac moderamen, vt res gestæ declarant: nomina igitur propria fataliter imposita res gerendas preueniunt. Veruntamen in omnibus non est tanta vis: nam plerunq; cognationis ratio nomen imponit clarorum hominum, plerunq; fama parentes mouet, vt Cæsares, aut Pompeios, aut Alexandros nominent. Hæc etenim licet minoris efficaciæ sint, quæ ex exẽplo non ex impetu imponuntur, tamen nonnihil innuunt ab astris venisse, vt filium potius Alexandrum quàm Cæsarem appellarint: nam si aut exemplo, aut consuetudine loci, aut cognatione imponantur, in discernenda coniugũm morte efficacia sunt. nam in his leuioribus causæ sunt particulares: in illis verò

grauioribus causas vniuersales agnoscimus. Causa enim vniuersalis, quia ex pluribus constat, superat particularem. Nam quotidie terra mariq; experimur maximas hominum clades, gladio, aut vi tempestatis contigisse, vbi aliquando centena hominum milia interiere: stultum esset credere omnes illos ex genesi habuisse, vt tunc perirent. nam si aliquorum genituram inspexisses, vidisses profecto felicitatem mortis: sed causa vniuersalis, aut discessus à loco, aut infortunati ducis, omnes illos de natura sui felices hoc infortunio inuoluit: vt si quis ex genesi felix vrbem ex fato vniuersali perituram incolat, vt Numantiã & Saguntum olim, & nunc in Hispania Malacam, infortunio vniuersali reddetur infelix, & vnà cum alijs peribit. Quotiens vidimus homines diu ex genesi victuros ab vniuersali pestilentiæ causa fuisse absorptos? veruntamẽ plerunque accidit, vt causa particularis alijs causis munita, vniuersale infortuniũ effugiat, ita vt ex bello, aut pestilentia, aut naufragio aliquis plerunque euaserit. Nã si familiam Mediceorum ex causa vniuersali ad ducẽtesimum vsq; annum in vrbe Florentina principatum esset habitura, &

ra, & circa finem aliquis ex hac familia mediocrem felicitatem ex natiuitate haberet, & alius ciuis ex genesi felicior esset, & simul de principatu in vrbe pugnarent, Mediceus ille duplici fato adiutus, & sui, & familiæ, quod vniuersale est, superabit ciuem, se ipso in causa particulari feliciorem: in hoc enim nó nisi vna principatus causa renidet, cum in alio duplex existat: & pro exemplo ponemus, quod Suetonius refert de Pompusiano, qui cũ genesim haberet imperatorum, oppressus est à Domitiano vniuersali familiæ causa adiutus, cùm Pompusianus non nisi particulare iuuamentum habuerit. Mediceorum igitur familia cœlitus nomina habens, vt etiam posteriora indicabunt, hoc nomine gloriatur, vnde non possum non subirasci quibusdam doctis viris, qui nomen rogatum ab olla inuoluere conati sunt. Latinũ enim nomen Græcanico ritu inflexere: quasi nouum esset, adiectiua quoque ab astris propria familiarum fieri, vt in familia Secundorum videmus, Vterq; enim Plinius & senior & iunior Secundus à familia ductus est. Sed hunc locum de fatis proprijs hominum nominibus placuit iocundissimo epigrammate Au

te Ausonij Galli lepidissimi poëtæ & medici excellentissimi concludere. Inquit enim:

Qui primus Meroë nomen tibi condidit, ille
Thesidæ nomen condidit Hippolyto.
Nam diuinare est nomen componere, quod sit
Fortunæ & morum vel necis indicium.
Protesilaë tibi nomen sic fata dederunt,
Victima quòd Troiæ prima futurus eras.
Idmona quòd vatē, medicū quòd Iapyga dicūt.
Discendas artes nomina præueniunt.
Et tu sic Meroë non quòd sis atra colore,
Vt quæ Niliaca nascitur in Meroë.
Infusum sed quòd vinum non diluis vndis
Potare immixtum sueta merumq; merum.

De Medicina et Veneno, & Qualis est Medicus, & de Ioue verso in Taurum quomodo intelligatur. CAP. II.

MEDICO & medicor eiusdem significationis in vsu esse Virgilius indicat: vt, *Semina uidi equidem multos medicare ferentes,* & illud: *-senibus medicātur anhelis.* Est autē medicari naturā rei quoquo modo immutare vnde & colorare est: color enim rerum facies immutan

mutando varietatem pocreat: Ouidius,

Confer Amyclæis medicatum vellus ahenis
Murice cum Tyrio turpius illud erit.

Hinc quoque est quòd medicamen pro colore sumitur apud idoneos. Plinius 1 x. naturalis historiæ, Centenas atq; quinquagenas medicaminum libras. & in eodẽ: Summa medicaminũ in libras vellerũ buccini c c. pelagij c x i. Sic etiam venenum id esse dicimus, quod rei naturam immutat, etiam testimonio iurisconsultorum: venenũ ergo & medicina siue medicamen eiusdem naturæ sunt, & eodem, vt ita dicam, passu ambulant: nam de colore illud:

Alba nec Assyrio fucatur lana veneno,

& de re perniciosa testimonium vbique occurrit. Medicare igitur & venenare, & salubria & perniciosa esse noscuntur. Varro enim ab Hannibale quærit, cur biberit medicamentum, vt ait Nonius, id est venenum. Sed quidam Latinorũ adiectiua variant. Sallustius. Hæc venenis malis imbuta. Suetonius verò sine varietate in vita Claudij ait: Alij domestico cõuiuio per ipsam Agrippinam, quæ boletũ medicatũ auidissimo ciborũ taliũ obtulerat. Est igitur apud nos medicina

dicina & venenum quod apud Græcos pharmacon. Color enim, vt dictum est, res variat & immutat, vt quæ fusca alba've sunt, in lutea flauaque commutet: & medicina ex ægro sanum, & ex sano, cũ lubet, ægrum reddit. Non est igitur admiratione dignum si Magnificus Laurẽtius ex nomine familiæ, & ab astris indito ea est sapientia vt in humanas naturas variet & immutet: accerrimos enim reipub. hostes in intimos conuertit amicos, & quod ab alijs vi fuerat ablatum, in augmentum ciuitatis adduxit, pacem, bellum've pro tempore seminans, ita vt eius medicamentis breui Italia aliam atque aliam faciem coloremque induerit, ita vt quidam egregius ductor interrogatus de Magnifico Laurentio, respondit, Nos sumus oues, ipse verò pastor: ducit enim quocũq; vult. Sed quid de studijs literarũ loquar? quæ tanta ægritudo inuaserat, vt vbique languescerent, nisi Medicis Laurentij fauore, & premijs amplissimis fuissent excitata, subsidio Magnifici Laurentij resanata sunt: Pisis enim gymnasium literarum florentissimum erexit: Florentiam vnicum orbis lumen, seditiosorum ciuium pernicie medicamentis suis

ita pur

ita purgauit, vt deposito furore partim sanarit, partim verò salubre medicamentum recusantes repressit, furiosos ergo latrunculos ac phrenesi agitatos patriam infestãtes, vt rerum moderator extinxit. Moderatorem verò medicum appellari testatur Ouidius 7. Metamorphoseôn:

Nec moderator adest, inq; ipsos saua medẽtes
Erumpit clades, obsuntq; autoribus artes.

Moderator igitur pro medico rectissime ponitur: summam enim moderationem medicamenta desiderant. nam salubria ab insalubribus discernere, & quomodo applicantur, agnoscere, & si medico necessarium sit, tamen hoc, testimonio Aristotelis, non efficit medicum. Sed quantum & quando, quod in Laurentio fuisse cognouimus. Pro tempore enim tergiuersatus occasionem expectans, & rerum põdera pensitans, citò & tutò, & iocundè curauit. Hæc enim tria medicũ consummatum reddunt, & id factitauit cùm res passa est: sed cùm conclamata ægritudo apparuit, ad illud Nasonis se sapiẽtia Laurentij conuertit, qui ait,

Cũcta prius tẽtãda: sed immedicabile vulnus
Ense recidendum est, ne pars syncera trahatur.

Serpunt enim mala quædam, & quod sanum

num est in corpore, vitiant: hoc igitur medicinæ salubre consilium in seditionibus ciuitatis amplexus est. Nam ciues, si ciues dicendi sunt qui patriam vexant, seditiosos insaniam vomere coëgit, cùm primùm incitamenta coniurationis intellexit, suauitate sermonis bonorũ ciuium precibus mentes ab hoc scelere conatus est auertere, vt citò, & tutò & iocundè curaret, vt sine tumultu in concordiam & amorem patriæ efferatos iam animos mutaret, alios enim muneribus, quosdam affinitate, plerosque pollicitationibus, nõnullos publico affectu, amore patriæ, beneuolentia larium demulsit, quos verò conclamatæ insaniæ, & quasi quædã carcinomata patriæ cognouit, eo quo diximus modo repressit. O peritissimum medicorum, ô amplissimum familiæ decus, ô Italiæ ornamentum, ô patriæ lumen, ô studiorum spes, ô pacis tutamen, ô bellorum pacem inducentum sustentaculum, hoc pacto fatum, familiæ; medicis cognomenta implesti: Medicina enim ab impetu inuadentis præmunit, aut iam grassantis morbi malitiam repellit, quod tamen diuersa constellatio facit: Iupiter enim in tauro præseruantem medicum efficit, &

Mars

Mars in ſcorpione, curantem melius efficit, vtraque tamen conſtellatio ad malos mores inclinat, nam quid Iupiter in tauro moliatur, poëtæ abſtruſo figmento mõſtrarunt. Iupiter enim in taurum verſus Europam rapuit, Iupiter igitur in tauro, qui eſt domicilium Veneris, in genitura alicuius molles, effœminatos, raptoresq; puellarũ effecit, & Mars in ſcorpione inuidos ac detrectatores reddit, huiuſmodi enim horoſcopi & bonorum & malorum cauſam præſtant. Sed tu vir excellentiſſime & cùm remp. tutatus es, ne amplius ægrotaret, & cùm ægram ſanitati reſtituiſti, ſummam beneuolentiam, humanitatem, miſericordiam, ſynceritatem, pudiciſsimos mores, animum mitem omnibus in rebus indicaſti: Nam ſecundum dictum Ciceronis in libro de Officijs faciendum tibi perſuaſiſti, cùm ait:

Quapropter in adeundis periculis conſuetudo imitanda medicorũ eſt, qui leuiter ægrotantes leuiter curãt, grauioribus autem morbis periculoſas curationes & ancipites adhibere coguntur.

De Mixtura aut compoſitione Medicina*rum, vbi exploditur ridicula* Plinij *ſententia.* CAP. III.

SERMONEM de medicina, quem præmisimus sequetur ratio mixturarum, aut compositionum, vtroque enim modo medicorum consuetudo vtitur, & in his quidem vis omnis medicamẽtorum existit. ex simplicibus nanque mixturæ & compositiones remediorum oriuntur: & cùm simplicia numero sint finita, intra enim octingenta sunt, ex se pariunt mixturas innumerabiles, in quibus medendi ars suas vires ostentat, adeo vt naturam ars vicerit, quod luce clarius apparebit, cùm de theriaca & Mithridatico sermo habebitur: sed ex tam exiguo simplicium cognitorum numero ars adhuc sibi potestatem reseruat, vt morbi, qui impræsentiarum incurabiles habentur, fiant aliquando curabiles. nam cùm antiquitas & Ouidius quoque dicat:

Tollere nodosam nescit medicina podagram
Nec formidatis auxiliatur aquis.

Primo quidem incommodo, nondum mixtura remediorum, rectè subuenit, ita vt penitus tollat ne reuertatur, sed lenit dolores & triduo sanat, vt nos sæpe sumus experti. Secundo verò malo post Nasonẽ remedia inuenta sunt, quãquam difficile

curat

curatu sit, morsus enim à cane rabido, & maxime eo quem mẽstrua muliebria degustata in rabiem verterunt, aquam maximè reformidat. id enim signum veneni iam grassantis est, & sic morsi maximè sitiunt, aquamque cupiunt, quæ salubriter sitim sedet, quam valde timent. Formidare autem sui mali remedium ita vt nullo modo velit attingere, quid incommodi afferat nemo profectò ignorat: difficilis ergo curatu est, sed sanatur tamen, quanquam imaginatio non modo morbum, sed plerunque mortem facit, &, vt ad rem nostram reuertamur, dicimus hac in re medicos astrologis esse fortunatiores: ipsi nanque ex numero simplicium determinato innumerabiles compositiones excogitarunt, suntque alias inuẽturi: astrologi verò numero stellarum cognito, sunt enim numero mille & viginti duæ, nullam additionem facere valent. nam sicuti omnium stellarum numerus est penè infinitus, sic etiam simplicium copia est innumerabilis, de incognitis loquor, sed hunc modum simplicium cognitorum dilatat medicina compositionibus & mixturis ad mẽsuram infinitam: astrologus autem intra limites se conti-

nens nihil amplius poteſt, poteſt ergo accidere, vt ex commodis mixturis excogitandis quidem tale medicamentum oriatur, vt & podagræ nodoſæ & peſtilentiæ & alijs incurabilibus ſubueniat. Sed cùm mixturarũ cómoda oculis cernamus, non poſſum non irridere quod Plin. XXII. Naturalis hiſtoriæ affert, inquit enim:

Nec vſus quos mixtura alijs præſtat enumerare medicina poſsit, ſic neç cæterorum quæ cum alijs proſunt. Iſta vt diximus ingenijs conſtant, non fecit cerata, malagmata, emplaſtra, collyria, antidota, parens illa ac diuina rerum artifex: officinarum, imo auaritiæ commenta ſunt. Naturæ quidem opera abſoluta atque perfecta gignuntur: paucis ex cauſa non ex coniectura rebus aſsumptis, vt ſucco aliquo ſicca temperentur ad meatus, aut corpore alio humentia ad nexus, ſcrupulatim quidem colligere ac miſcere vires, non coniecturæ humanæ, opus, ſed impudentiæ eſt. Nos Indicarum, Arabicarumq; mercium, aut externi orbis attingimus medicinas: non placet remedijs tam longè naſcentibus, non nobis gignuntur, imo nec illis quidem, alioquin non venderent: odorum cauſa vnguentorũq;

&

& deliciarum si placet, etiam superstitionis gratia emãtur, quoniam thure supplicamus & costo: Salutem sine his posse constare, vel ob id probamus, vt tanto magis sui delicias pudeat. hæc Plinius. Sed profectò hic sermo quò tendat ambiguũ est, mixturas nanque partim laudat, partim verò improbat, cùm opera naturæ absolutissima esse asserit: in hoc quo ad se ipsa, fortassis verum loquitur, sed quo ad operationem falsissimũ est. Exempli gratia: si Anthonius Musa Cæsarem Augustum sanitati lactucis restituens reformidasset in eo periculum cæcitatis aut mortem, cùm lactuca refrigeret, visumque hebetet, necessitate coactus solertissimus ille vir miscuisset aliquid, quod lactucæ incommodum temperaret, & sic etiam in cæteris faciendũ esse ars præcipit. Cùm autem non placere ait remedia tam longè nascentia, hoc sermone & medicinam & totius orbis cõmercia videtur improbasse, ita vt homo iam animal sociabile, dicta Plinij ferum, & inhumanum redderent, ita vt si inopia tritici laboraremus, nauigare ad Indos, aliasque gentes vt esurientibus subueniamus, videtur improbandum. Sed cùm ait antidota, collyria,

emplastra,& alia huiusmodi esse cõmenta auaritiæ, mouit mihi risum, cùm hominum mentes se ad vnguem tenere arbitretur, & præter propositum loquitur: Nam & auarorum inuenta sæpe profuerunt, ita vt eorum mentem, non inuentũ damnemus, vt illorum qui pereunti patriæ pecuniæ auidi diu triticum conseruarunt, deinde vendiderunt, venundantium igitur mentem, quandoquidem humano generi, & maximæ patriæ debent, non tritici conseruationem ac venditionem improbabimus. Cerata igitur & antidota, collyria & emplastra esto auaritia excogitarit, quod fortasis falsum est, Cur nos, quod salubre & bonũ est, vt effectus indicat, & experientia confirmat, vituperabimus? quanquàm non possum coniectare qua auaratia Mithridates rex Ponti illud tam diuinum antidotum, quod nomine eius Mithridaticum dicimus, composuerit: & Philon ille Tharsensis & cõterraneus Pauli Apostoli, vnde philoniũ dictũ est, si pecuniæ auiditate flagrasset, tam nobile, tam salubre medicamentum, quo calculosos colicosque sanamus, non promulgasset, sed apud se seruans posteris suis testamento legasset. Nam nos sæ-

pe ex

pe experti sumus id omne quod Philon narrat. Introducit enim antidotum ad loquendum cõtinere veritatem. In dolore enim vehemẽtissimo in colica ex Philonio quantũ est granũ ciceris, & ex aqua calida si sumas, paruo spatio incommodũ omne cessabit: nã hoc dolore grauatos, & iã quasi extinctos medicamẽto Philonis reuocauimus ad vitã, & sic de alijs dicendum est, quorum experientia patet. Sed ne hoc quod alicuius momenti est, sicco pede transeamus, aliqua adducemus ab Auicennæ autoritate sumpta, quæ Sole clarius ostendent mixturas in medicina esse necessarias. Simplex aliquando in vno iuuabit, in altero verò nocebit, vt de lactuca dictum est. Ars igitur excogitauit aliquid addere, quod nocumentum reprimat. Et medicina, quæ de natura sui amara, fœtida, naturæ inassueta, vt paulò post docebimus, additione alicuius rei iocundæ mitigatur ne abhorreamus. Et cùm medicamentum ad longinquas partes corporis relegatur, ne nimia mora & maximis anfractibus consumatur, adiungimus opium, frigiditate cuius, concoctio impedita medicamenti vim illæsam dimittat, sicuti in theriaca miscetur:

Colici morbi sanatio.

paſtillis verò camphoræ crocinum calcar addimus, vt ad cor vſque perueniat. Et cùm medicamentum tale eſt, vt duobus itineribus proficiſci valeat, vt eò tendat, quò relegare volumus, præbemus ducem. nam ſi aut ad veſicã, aut ad inteſtina (hæc enim purgãdi diuerſa ſunt itinera) liberè ire poterit, vt ad viam veſicæ tendat, admiſcetur cantharis, quæ de natura ſui renes veſicamque petit. Præterea ſi medicamine, quod aperit, vti voluerimus, quoniam tale medicamentum ſumma cum celeritate à iocinore declinat, tunc ſemine raphani admixto ad os ſtomachi reuocatur, vt inde ad iociner redeat. His & alijs cauſis mixtura medicinarũ, et cõpoſitio ſimpliciũ neceſſaria eſt. Sed medicina, vt ex dictis Ariſtotelicis in lib. Problematũ colligitur, rebus aliquot munita probatur, nam humanæ naturæ abhorrenda eſſe debet, ita vt amara, fœtida, naturæ inſueta appareat. Nam ſi iucunda amicaq; foret, & ſi vim ſoluendi obtineret, nihil tamen efficeret, quoniam natura quod amicum eſt, in ſui ſubſtantiam vertit. Præterea cauendum eſt, ne ſit glutinoſa nimis, ne partibus ſtomachi inhæreſcat, ita, vt ne aliò tendat: nec ea

Cantharis quibus inimica partibus.

Rhaphani ſemen ad quid.

Medicina naturæ inimica oïs.

stipticitate fulta sit, vt os stomachi constringendo corroboret: lenis ergo & rara sit oportet, deinde vehemens ex se sit necesse est, vt corporis virtutes superet, ne ab illis opprimatur. Tantam habēs quantitatem, vt eam humana virtus tolerare non possit, sed victa humores exagitandos illi exporrigat. omne enim agēs multum esse debet: nā adaucta quantitate augetur & virtus, & hinc pēdet illud quod suprà narrauimus, cùm medicum quantum, & quando efficiat. Cùm igitur medicina calida, siccaque huiusmodi stimulis atque aculeis armata erit, nullo modo à natura poterit tolerari, nec eius molestia sustineri, & hinc nascetur illa humorum concessio, & eorum ad os stomachi reuocatio; vt euacuatio vomitu fiat. Calidæ autem & siccæ inter cætera medicinæ sunt albus & niger helleborus. vterque enim harum qualitatum tertium ordinem obtinet, sed diuerso modo operatur. Albus enim vehemētia sui pituitam vomitu excludit: & hinc est quòd articularijs podagricisque longisque ægritudinibus subfragatur. Niger verò helleborus, quo filias Prœti sanatas à Melampo retulimus, atram bilem non per vomi

tum, ſed per excrementa depellit, & elephãtiaſi perutilis eſſe cognoſcitur. Scammonia autem caliditate ſiccitateque ordinis tertij ornata (ex ſucco enim cuiuſdam conuoluoli fit) etiam per inteſtina repurgat. Sed cùm de vomitu facta ſit mentio, non videtur ab re aliquid in medium afferre, quod faciens vomitum omnibus etiam aniculis & olitoribus commune ſit. Vomitus nanque multis & periculoſis ſæpe incommodis ſubuenit, ſemina rapi, aneti, atriplicis, leuiter & ſine offenſione vòmitum prouocant. Helleborus albus, ſtruccium ſiue obſtruccium: chamelæa, cuius ſemen Punicè mezereon, nos verò coccum gnidió vocamus, vomitiones cum maxima vehementia faciunt: Nux verò vomica & aphronitrum medio ſe modo hac in re habent. Sed mentio ſcammoneæ, nam in tertiana datur, cum calida ſit, admonet, vt videamus, ſi calida aliquando refrigerant, & ſi frigida exurunt: nã teſtimonia non deerũt. Virgilius nanque in Bucolico,

Vomitum ſcientia.

Teſtilis & rapido feſſis meſſoribus æſtu
Allia, ſerpillumq́; herbas contundit olentes.

Cùm hæc omnia calida ſint, & idem poëta in Georgicôn libro,

Ponet

Penetrabile frigus adurit.

Et Lucanus,

Vrebant montana niues.

Calida refrigerare possunt duplici ratione, vna siquidem est, cùm aperiunt. nam esculentum ex allio, serpillo, mentaque olenti confectum, calidissimum, aperit ocultos meatus corporis, quos Græcia poros vocat, vnde caloris fit exhalatio, & hoc modo refrigerant: sunt enim causa vt conceptus calor exhalet. Est & alia ratio, vt in scammonea deprehẽdimus: tertiana enim febris refrigeratione indigẽs, vi scãmoneæ, quod optat adipiscitur: primò, quia proprium huius medicamenti est bilem purgare, quæ tertianam efficit: secundò, quia calor calori additus auget calorem, cuius vi materia calorem faciẽs consumitur, & hoc modo refrigerium corporis nascitur. Sed frigus nunquàm vrit, licet vterque poëta dixerit: veruntamen causam præbet incendij: nam adueniente frigore vehementi, id caloris quod sparsim in folijs & herbis, & alijs huiusmodi natura locauit, adueniente cõtrario colligitur in vnum, & fortius iam, quæ prius fouebat, exurit: exustio ergo à calore fit, causam prębente frigore, sicuti

in cal

in calce cóſpicimus: calcem enim oleum extinguit, & aqua accendit: nam ignis per corpuſcula ſparſus, adueniente aqua, vt ei contraria vnitur & fortior ſolito flammam ex impreſsione aquarum emittit, vt ſæpe conſpicimus, oleum verò cùm igni non aduerſetur, non præbet vnionis cauſam, vt lucere & vrere poſsit.

De Mithridatico antidoto, & de potentia vini. CAP. IIII.

NVNQVAM fortaſsis Mithridatici antidoti memoria ſeſe quàm impræſentiarum commodius offeret, vt hoc vno argumento illa Plinij ſiue querimonia ſiue garrulitas, quam retuli, refutetur. Hoc enim illuſtre medicamen, nec inanem, nec cómenticiam lucrandi gratia mixturam ſimplicium inuentam omnibus indicabit. Vtilitas rei maxima, & amplitudo regis Mithridatis vtrunque falſum eſſe conuincet. Sapientiſsimus enim rex, pariterque potentiſsimus, quadraginta annos cum populo Romano bellum geſſit: duarum & viginti linguarũ (tot nanq; nationibus imperitabat) peritus, medicinam percallens: nam multas peragrauerat regiones, ſingula quæque diligentiſsimè

mè perquirens, eò doctrinarum deuenit, vt in eius scrinio post victoriam Romanorum Magnus Pompeius, quæ secretiora pretiosioraque reperta sint, iussit per doctissimum virum Lenæum eiusdem Pompeij libertum in nostram linguam traduci, quod factum non minus quàm victoria profuit. Victoria enim de rege Mithridate hominibus Romanis illius seculi duntaxat vtilis, sed quæ ex arte medica ex huius regis scrinio deprompta sunt, omnibus gentibus & seculis profuerunt. Sed alijs posthabitis ad antidotum, quod nomine regis Mithridaticum appellamus, redeundum est. Hoc enim (vt ait Plinius) quatuor & quinquaginta simplicia continet: sed in descriptione Cornelij Celsi & Auicennæ sunt pauciora: nec hoc cuiquam mirum esse videatur. nam sæpe facta est quorundam simpliciũ additio, & plerunque eorum diminutio, quod tamen antidoti excellentiam non violat, manentibus fundamentis. Vnumquodque enim medicamẽtorum talium, habet (vt ita loquar) basem super qua innititur, qua detracta omnis eius vis conflaccescit: nam si in hierapicra aloën, & in theriaca carnem viperinam detraxeris,

aut

aut aliquid miscueris, quod illam corrum par, vt est mel anacardi, theriaca non eos habebit effectus, quos illi per excellētiam tribuimus: non ergo mirum est si Mithridaticum varietatem in mixtura habuerit, base & fundamento permanentibus. nam de varietate nominum non est nisi Latino & erudito homini cura, dummodo res sit eadem: nam Auicenna nasturtium Babylonicum vocat, quod in Cornelio est tlapsis, & scilis in eodem, quod in Auicēna siseli dicitur. Cornelius radicem Ponticam, hic reuponticum, malobatrum ille, hic folium Indum: Cornelius daucū Creticum, Aui. siue Creticum, siue alterius regionis fuerit non curat. De gentiana quæ est vna de basibus, parua est varietas: nam Auicenna gentianam tantum, Cornelius verò gentianæ radicem nominat. Sed vterque de nardo loquens, alter spicam, alter verò spicam nardi infert, quam quidem ego libenter nominaui propter Lucretij & Ouidij carmina, ille,

Et nardi florem nectar, qui naribus halet.

& hic,

Nec coma vos fallat liquida nitidissima nardo;

& in

& in eo Mithridatico quod Auicēna describit, opium, mastix, xilobalsamum, loco quorum in Cornelio papaueris lacryma, resina terebinthina, opobalsamum sunt: & lollium, piper longum in Cornelio tantum legimus: nam Auicenna lollio neglecto, nigrum & album piper admiscet. Masculum thus in Auicēna, in Cornelio autem thus tantùm, & alia quæ legentibus patere possunt: hoc autē volui dixisse, ne quis sibi persuadeat additione vel munitione cum simplicium varietate, medicamenta mutari, stántibus fundamento ac base. Quid autem sit Mithridaticum Auicenna declarat, cum ait: ante Andromachum hoc antidotum loco theriacæ magnæ fuisse, sed de theriaca paulò pòst loquemur. Nam in his duobus quæ olim vnum erant, tot tantæque virtutes, tot vtilitates, tot sanitatis fomites, tot defensiones protectionesque ad res maximè contrarias conspiciuntur, vt non humanum inuētum esse videatur. Theriaca paulò calidior Mithridatico est, attamen in virtutibus ferè cum ipso concordat: excellit tamē theriaca in vno dun taxat, fugat enim tutius Mithridatico venena serpentum: alijs verò in rebus, vt

Auicenna consentit, Mithridaticum teriacæ antefertur. Vtrunque tamen calidis, frigidis, humidis, siccis lãgoribus subuenit: vt latè patebit, si quis eorum vsum aduerterit: vtrunque ex vino sumitur. sed Mithridaticũ maximè. Quid autem vinum operetur, illud Asclepiadis à Plinio relatum ostendit, cùm potentiam vini vix potentia deorum coæquari posse arbitretur. Et Halis Galeni commentator ait, Vino calida refrigerari, & algida calefieri, humida siccari, siccataque humectari, quod non est teriacæ Mithridaticoq; dissentaneum. & rectè mea quidem sententia. nam plerunque maximis caloribus flagrantes potu vini refrigeratos, & algore contractos meraca bibitione caluisse conspeximus. Siccum autem hominem potu vini humectari nemo profectò dubitat, cùm plerunque stomachantem nimioque humore nauseantem optimi vini abluitione siccatũ sæpenumero contigerit. Commodè igitur hoc tam salubre tamq; varium antidotum ex optimo vino Cornelio Auicennaque testibus sumitur, vt hoc adminiculo ad diuersa incommoda corporis deuehatur. Fuisse autem maximæ famæ in medicina Mithri-

datem

datem inter cætera illud Satyricum declarat, *-Si prægustasset Atrides*

Pontica ter victi cautus medicamina regis.

Ter autẽ fuisse deuictum Mithridatem historia narrat, cùm Lucullum, Syllam, & deniq; Pompeiũ victores proponat.

De Theriaca vbi error in nomine est.

CAP. V.

IAM de Mithridatico sermo est absolutus, nunc de theriaca dicemus. Sunt enim duo hæc medicamẽta quadam germanitate connexa adeò, vt alterius quodam modo hæres, hæreditatem intactam reliquerit. Magna enim theriaca Andromachi hæreditario quodammodo iure vi cognationis Mithridatico successit, eandem gerens cum morbis hostilitatem, sed paulò ardentius. Mithridaticum enim nõ vt theriaca concaluit: sed hoc in loco de nomine aliquantisper disputandum erit. Nam omnes ferè iuniores in huius appellatione conuenire videntur. Auicenna enim, eiusq; imitator & obseruator Petrus Aponanus, cui ob concordiam philosophorum & medicorum Conciliatori nomen est inditũ, vir apprimè eruditus, nullius disciplinæ expers, magiæ & ma-

theſeos peritiſsimus , Græcarum litera-
rum non ignarus,in hanc ſententiam cõ-
nenére , vt theriaca dicatur propter car-
nem theri ſerpentis,vt ipſi aiunt,additam
ab Andromacho , quod quàm ridiculum
ſit,ſtatim apparebit.nam eo tempore,quo
Mithridaticum erat loco magnæ theria-
cæ,nomen theriacæ erat in vſu. Theria-
ca enim diateſſaron,& theriaca Antiochi
regis nominabantur,vt meminit Plinius,
& in neutra harum caro viperina admi-
ſcetur : vnde non à thero nomen traxit
originem : Præterea therus pro ſerpente
nuſquam occurrit , licet quidam ex do-
ctis Plinium allegent, locutione Pliniana
decepti, quam minime intellexerunt.In-
quit enim Plin. XIX. Naturalis hiſtoriæ:
Fiunt ex vipera paſtilli qui theriaci vo
cantur à Græcis , ternis digitis vtrinque
amputatis exemptisque interaneis. Sed
in hoc ſermone Pliniano bene intellecto
nuſquam therus ſerpens nominatur:nam
fiunt(inquit)ex vipera paſtilli qui theria
ci dicuntur à Græcis , quod hac ratione
dictum eſt,Quoniam τερέω apud Græcos
eſt ſeruo , quaſi dicat Plinius , trochiſci
fiunt : ſic enim Græcè vocantur paſtilli,
qui theriaci , id eſt ſeruatores dicuntur,
& hoc

& hoc modo & diatessaron & Antiochi theriacæ dictæ sunt, tanquam humani generis conseruatrices. Venena enim quæ nobis inimicantur, repellunt, & sic nos seruãt incolumes: quod satis bene ex alio dicto Plinij apparet in eodem libro, theriace vocatur excogitata compositio luxuriæ, fit ex rebus externis, cùm tot remedia dederit natura quæ singula sufficerent: Theriace ergo est, ac si dicerent, seruatrix. Fuit enim consuetudo maiorũ nostrorum excellentes medicinas præclaris nominibus decorare, & hinc hierapicra, id est, sacra amara dicta est, quod nomen sacrum atque diuinum ob eius merita habuit. Nam superuacuos humores, illæsa humiditate natiua educit, quod mirabile est. rarò enim sordes & superuacua è corporibus medicamen educit, quin secum aliquid natiui & radicalis humidi vnà cum sordibus trahat. Medicinas siquidem cineri lixiuio non iniuria cõparauerim, qui sordes lauat & pannos terit. Præterea est & sotera medicamen appellatum propter salutem quam affert: soteria enim salus dicitur. De hoc enim multa & egregia quidem Auicenna commemorat: nam morbo comitiali, vertigi-

ni, vetuſtis capitis doloribus ſubuenit, lippitudines prohibens, cogitationes & graues hominum curas mitigans, quo ſolo, mea quidem ſententia, tam egregium nomen obtinuit. Curæ enim graues non modo morbos ſępe inducunt, ſed plerũq; in turpiſsimam mortem ex deſperatione præcipitant. Sunt etiam aliæ permultæ claris nominibus appellatæ medicinæ, quas qui noſſe deſiderat ad Galenum & Auicennam ſe cõuertat. Sed Andromachi tãtùm magnam theriacam vocamus, de qua paulò mox loquemur, quoniam illa theriaca regis Antiochi, qua ad omnia venena vtebantur, deſcribitur à Plinio xx. Naturalis hiſtoriæ: & theriaca diateſſaró nota eſt. nam à quatuor nomẽ ſortita totidem ſimplicibus conſtat, hoc eſt gentiana, ariſtolochia longa, myrrha, thure. Hæc autem melle glutinantur adinuicem, vnde mel, vt copula appoſitum non computatur in numero, neutra tamẽ magna dicta eſt. Sed vt ad theriacam Andromachi reuertamur, aduertẽdum quippe eſt illam eſſe perfectiſsimam, ac ex omni parte maximè cóſummatã, & quanquam Galenus theriacam quoque nomine ſuo, auiditate gloriæ allectus, quibuſdam

dam additis ediderit, attamen teſtimonio Auicennæ nihilo plus actum quàm in theriaca Andromachi ſit. Nam minimi & nullius ferè momenti additamementa putantur: Et ſic etiam alij gloriam aucupantes theriacam nomine eorum compoſuere, quæ tandem in illam Andromachi magnam theriacam reſoluitur, vt idem Auicenna ait: imo putat nihil addi poſſe, quod conferat. Fieret tamen nocumentum, vt idem teſtatur, & nos ſuprà retulimus, anacardi permixtione, quoniam carnem viperinam corrumpit, quam conſtat eſſe magnæ theriacæ ſolidum fundamentũ, quo ſine ſtare non poteſt. Conciliator tamen additamentum fieri poſſe vtiliſsimum arbitratur, & inter cætera gariophyllon enarrat. Sed ne theriacam fruſtra nominauerimus, quædã vel plurima & maxima emolumenta ex Auicennæ libro v. in medium referemus. Confert enim venenis, vt ſcorpionum, ſerpentum, canis rabidi: prodeſt etiam veneno potionatis, necnon ægritudinibus ex pituita, ex atra bile, & febribus ex huiuſmodi humoribus: prodeſt etiam inflationibus, ſolutioni quam paralyſin vocant, necnon attonitioni, quam Græci apople-

xiam nuncupant: suffragatur morbo comitiali, quem epilepsiam Græcitas: tormini, tremori, phrenesi, elephantiosi, vitiligini iumenta tradit, roborat cor, acuit sensus, excitat appetitũ, stomacho vtilis, anhelosis proficua, renum vesicæque doloribus, ex quacunque causa sint, siue frigus aut calor, siccitas humiditasq́; huiusmodi incómodum pepererint, opitulalatur: calculos & maximè in vesica conterit: intestinorum vlcera consolidat: lienosis & hepatiarijs ex duritie iuuamentum porrigit: spiritus autem nostros, caloremq́ue natiuum viuificat: calidis frigidisq́; habitudinibus vtilis: quanquam Galenus in libro de theriaca neget, diebus canicularibus, & locis calidis, & infantibus vsum eius prohibens. Tussim subleuat, dolores pectoris mitigat, colicũ incommodum minuit, lateris doloribus subueniens vocem iuuat, & ad omnia morborum genera non inutilis. Hoc tamen memoriter tenendum est, theriacã in aconito, venenorum veneno, iuniores napellum (est enim aconiti species) nullã habere efficaciam, in hoc vis eius conflac cessit. Quid autem sit aconitum, sequentia declarabunt. Tale est enim vt inter

venen

venena, vt videbis, obtinet principatum, quapropter Ouidius Metamorphoseos primo:

Lurida terribiles miscent aconita nouercæ.

Sed huius tam furiosi,tam noxij,tam atrocis veneni,antidotũ salubre est diamuscũ: vnde, quod magna theriaca non potest, antidotum hoc aconito resistit, opemque eo laborantibus præstat.

De linguæ Punicæ excellentia, & de præstantia gentis Phœniceæ, quam quidam Arabicã vocat, vbi de magnifico Laurentio, Ioanne Bentiuolo, Turca, & Soldamo mentio est. CAP. VI.

PLEROSQVE miraturos arbitror,nisi ratione factum appareat, me nonnulla ex libris Auicenæ & aliorum excerpsisse,& Punicè dicta quandoque adduxisse, cùm apud idoneos & maximè nostrates non nisi Græcitas cum Latinitate testimoniorum integritatem in verbis exhibeat, id enim rectè dictum ac bene perpensum putatur, quod ab altera duarum linguarum defluxit. Græcos enim olim eruditissimos,& Latinos dudum & nunc etiam in eruditione præcipuos dictitant, nec omnino fallũtur: sed hi malè sentiũt,

qui disciplinarum principatum multis iam annis exactis Græciæ aut Italiæ tribuunt. Nam in lingua Punica tot tamq; excellentes disciplinarum scriptores superioribus annis eluxere, vt non modo veteri Græciæ, & antiquæ & nouæ Italiæ, sed Aegypto conferri ac comparari posit: & ne cateruatim doctorum hominũ & tironũ quidem in me narrãtem ruat multitudo, satis erit nobis Auerroidem, Albumasarem, Auicennamque, qui in manibus sunt pro quodam vallo, vt me muniant, adduxisse. Auerrois enim Peripateticorum acutissimus Aristotelis interpres, cui ob excellentiam Commentatori nomen indidimus, illis duobus iunior, vtrunque enim allegat in libro de cœlo & mũdo, armis syllogisticis protegat. Is enim est, vt vndiq; in se & in eius imitatoresveniẽtes impet⁹ repellat, mole sua stans. De Albumasare quid referam? cùm cœlos & eorũ effectus, & maximas illas & diuersas cõiunctiones planetarum ita percalluit, vt & præterita & præsentia & futura cognoscere ac intelligere nos omnes docuerit, multaq; excogitarit, quę ab initio orbis ad eius ætatẽ latuerunt. Auicenna autẽ signorũ & causarũ in morbis

bis princeps, eum ſeſe nobis præbuit, vt medicinæ ab hoc excellentiſsimo viro propoſitę, vt quædam diuina manus mor bos fugetːita vt ſine eo manca ars medendi eſſe videatur : tales ergo viros lingua Punica habet, quæ teſte Priſciano Chaldęæ, Hebręæ, & Syræ eſt ſimilisː & rectè. tres enim linguæ quadam germanitate, iungantur : omnes enim à dextra in ſiniſtram ſcribendo calamos ductitant, cùm Græci & Latini à ſiniſtra in dextram literas arēt. Præterea illæ gutture, nos verò & Græci labijs pronunciamus, ideo Hieronymus anhelantia Chaldæorũ verba dicit, & cũ vocales Græcæ & Latinæ linguæ formam cæterarũ literarum habeant, apud illos puncta cum lineis extra abecedarium, vocalium obtinēt poteſtatē: verborum autem poſitione & ſignificatione Chaldæa & Hebræa aliquantiſper differunt, nam Hebraica in nonnullis videtur Chaldaica adaucta, & Chaldaica apparet Iudaica detruncata, ſed in numerando concordant. Et quoniam quidam iuniores, non omnino imperiti Punicam linguam Arabicam dixere, non erit ab re Hieronymi verba in prologo Danielis adducere, ſunt autem hæc : vnam Hiere-

miæ pericopen, Iob quoq; cum Arabica lingua plurimam habere ſocietatẽ. Hæc autem Chaldæa eſt, vt ex eius ſermone colligimus. Et apud Hebræos moris aliquando fuit Hebraicis literis ſcribere, quæ erant Chaldaicis vocabulis cõpoſita, vt de Daniele & Eſdra Hieronymus affirmat, ſed inter alia Chaldaicæ linguæ pronũciationẽ Hieronymus penitus deſperauit: Pœni ergo & Tyrij, vt ad rem noſtram reuertamur, quàm egregij fuerint, nemo profectò ignorat, Phœnicia enim, vnde Pœni ſunt, Tyrum & Sidonem habuit, de Tyro Virgilius:

Imperium Dido Tyria regit vrbe profecta.
Sed fines Libyci genus inſuperabile bello.

Phœnices nanque & artium bellicarum, & naualium, & aſtrologiæ, & literarum fuerunt inuentores. Quatuor enim hæc in humanis præcipua a Phœnicibus & Tyrijs ad alios defluxere. Quanta autem inuentorum ſit laus dicat Ariſtoteles, qui nihili quodãmodo facit additamenta. Inquit enim: facilè eſt inuentis addere. Nec inueniſſe tantùm fuerunt contenti, ſed alijs quoq; tradiderunt. Agenoris enim Cadmus ex Tyro fugatus in Græciã nauigans Thebas Bœotias ædificauit, literasq;

rasq́; dedit Græcas: quibus similes Nicostrata, quæ Carmentis dicta est, mater Euandri Latinas formauit, vt ait Plinius. Sed bellicas artes ab his & inuẽtas & adauctas paulò pòst docebimus. Interea illud Lucretij in medium veniet:

Anguimanus belli docuerunt vulnera Pœni
Sufferre, & magnas Martis turbare cateruas.

Cùm de elephantis dictum sit, quorum proboscidem, Latinus manum vocat, vt in Curtio sæpe occurrit, quæ vt anguis flectitur, in bobus lucę, sic enim Latinitas elephantos vocauit. idem Lucretius: vt nunc sæpe boues lucæ ferro. Sed hac in re Latinitas miranda est, quæ & auibus magnis, & animantibus quoque peregrinis parua interdum nomina, & sua quidẽ dederit. nam struthiones dixit passeres, gryphes picos, elephãtes boues lucas, camelopardalim ouã feram nuncupat. Tyrij ergo & Thebas in Græcia, & Carthaginem in Africa condidere, quales autẽ quantæq́ue hæ vrbes fuerint, nemo ignorat, cùm altera Herculem Liberũq́ue patrem, aliosq́ue permultos dederit, altera verò cũ populo Romano tã acriter depugnant, vt à poëta dicatur,

-Propiusq́; fuere periclo

Quis

Quis superare datum.

Tyrus tamen in Phœnicia, quã Agenor Cadmi pater condiderat, olim dicta est Sarra: vnde Virgi.

-Et Sarrano dormiat ostro.

Et hæc est ad quẽ loquitur Esaias Propheta, Quis cogitabit hoc super Tyrũ quondam coronatam, cuius negotiatores principes institores eius inclyti terræ? A loco igitur lingua, & moribus, artificijs, & doctrina excellentibus in Africam Tyrij cõmigrarunt, adiuti etiã soli bonitate. ea enim regio est Africa, vt ex astris acutos homines gignat. Iulius enim Firmicus ratione astrorum factũ asserit, vt Græci sint leues, iactantes Hispani, Subdoli Afri. fraus enim & dolus non nisi acumine deprauatæ mentis exoritur, vnde & de Hãnibale Liuius: Fraus plusquã Punica. Accedit etiã ad hoc quòd Afri iam diu cum Græcis habuere cõmerciũ, ita vt non eos latuerit, si quid apud Græcos bonæ cultæque doctrinæ adinuentũ, additúmue est, ita vt ad sapientiã Pœni primo inclinationem naturalem habuerint: fuerunt enim rerum excellentiũ inuentores, vt tetigimus, deinde natura terræ adiuti: id enim solũ subdolos facit: deniq

denique cõmercio Græcorũ exculti, eò sapiẽtię deuenerunt, vt in medicina, philosophia, & mathematicis, arteque magica soli sapere videantur, nec sibi quisquã persuadeat cõmerciũ Tyriorũ cu Græcis esse nouũ, ita vt Aristotelis, cæterorumque philosophorum, & in quolibet genere scriptorum, sit in linguam Tyriã facta interpretatio antiquissimum enim Græcis & Tyrijs fuisse cõmercium declarat Hannibal ille, qui totiens Romanos afflixit. Nã eũ Græcè sciuisse Probus Aemilius testimonium facit, qui de Hannibale loquitur: Atq; hic tantus vir, tantisque bellis districtus, nonnihil tẽporis tribuit literis. nanque aliquot eius libri sunt Græco sermone confecti. Non immerito igitur, cũ dicitur Barbaria, si per excellentiã Africa intelligatur. Cicero II. de Natura Deorum: Auditũ est pantheras quæ in Barbaria venenata carne caperentur, remediũ quoddam habere, quo cùm essent vsæ non morerentur. Et Iustinianus Imperator in procemio Institutionũ, cùm de recuperatione prouinciarũ meminit, inquit: Et tam Africa quàm aliæ innumerosæ prouinciæ post tanta temporum spatia nostris victorijs à

cœlest

cœlesti numine præstitis, iterum ditioni Romanæ, nostroq; additæ imperio, protestantur, per quandam sublimitatem ab alijs Africã secreuit, vt poëtæ facere con sueuere. Virgilius in primo Aeneidos,

Troas relliquias Danaũ atq; immitis Achilli.

Sed cur amplius de soli adiutorio loquar, cùm vafer, vnde vaframenta, ab Afris, quasi valde Afer à Nonio dictũ putetur. Aurelium autẽ Augustinũ, & Cyprianũ, & Marcianum Capellam, Apuleiũ quoq; cum plurimis alijs (nam Terentium Scipionis currũ pileatum ob datam libertatem fuisse secutum) ex illa quoque regione fuisse bonitate soli, & aëris influxu adiutos non immerito credimus: alios enim Carthago, alios verò instaurata Carthago dedit. Cui igitur vitio dabitur, si ab hac præclarissima lingua, à gẽte nobilissima, armis, literis, nauigationibus, astrisq; insigni aliquid præclarũ mutuabitur exẽplo Romanorũ, qui Carthagine capta, cũ bibliothecas regulis Africę donassent, duodetriginta volumina eruditissimi Magonis sibi Senatus reseruauit, mandauitq; in linguã nostrã trãsferri. Itaq; factũ est, sed in traductione Decius Syllan⁹, qui linguã Punicã tenebat, excelluit cæteros. Erant enim

enim de agricultura libri, vt latè patet in Plinij decimoctauo Naturalis historiæ. Quales igitur gentes putabimus illas (ne nobis blandiamur) à quibus grauitas Romanorum doceri optauit, & quales ciues dicemus, apud quos confertissimæ bibliothecæ repertæ sunt? Quos etiam regulos fuisse in ea regione arbitrabimur, qui à Senatu cùm oppida, & pecuniæ, & tituli proponerentur, libros dono petijsse cernuntur. Erit'ne nobis erubescendum, si aut indicandæ rei, vel refutandæ insciriæ doctrinæ gratia verbis Punicis aliquando vtemur? qui enim aliter sentiret, iudicaretur doctrinarū hostis. Nā Gebber Matheseos peritissimus, magnā editionē Ptolemæi, quā Punica lingua Almagestū nuncupat, in libro suo ita vexat, vt plurimos in eo errores esse cernamus. Nā mathesis demonstrationibus certissimis fulta, oculis & animo hominum errata demonstrat. De alijs qui in Galeno quoque errata plurima depræhenderunt non referam, ne hac in re tempus teram, sed ad verba Punica, à quibus tantopere quidam abhorrent, reuertar: & in exemplum adducemus Plautum, qui in scena & theatro in ea comœdia quæ Pœnulus dicit

dicitur, Pœnum Punicè loquentem introducit, ita vt tunc quoque lingua Punica nó fuerit Romæ inaudita, imo propter captiuorum multitudinem tantum fuit cómercium, vt per omnem Italiam quædam huius linguæ vestigia remanserint. Nam in Thuscia quam Hetruriam quoq; dicimus, scapos recentiũ fabarum in lingua vernacula bacellos dicunt; baccila enim Punicè faba est: & in Italia Circumpadana, & maximè in agro Patauino quinque ossa pectoris cassum more Tyriorum vocant. Barboca Punicè dicitur meatus & via, & Italia barbacane antemurale, vbi via est circa arcem, appellat: Allhosos ipsi, nos lalonza partem spinæ porcinæ nominamus; bottor est eminentia in cute, & tuberculum quoddam durum, & per totam Italiam bottoni vocamus ansulas thoracis: in Pœnulo Plauti est bodialith, id est, diuisio fratrum inter se, & in eodẽ ponitur lalec: sunt autẽ quæ diu mãduntur, & ille Plautinus interpres introductus cómemorat nuces, vnde non est absurdũ nuces inter ea quæ diu manduntur annumerare. Mathahaze Punicè, Italia verò in lingua vernacula matharazzo nũcupat, est res de pilis caprarum facta.

facta, nos Latini huiusmodi viles lectos grabatum, aut phormionem dicimus, à Græcis mutuati, vel ipsi à nobis : nam aliquando disceptabimus, quæ Græca quæue Latina sint vocabula. non enim validum argumẽtum est, hoc apud Græcos scriptores antiquissimos reperitur, ergo Græcum est : nec quia Epicurus scurram vocauit Socratem, statim concedam Græcum esse. nam nomina disciplinarum Græca apparent : modus etiam inflectendi à Græcis descendit : literæ quoque nostræ Græciam repræsentant: omnia hæc fatemur, ita vt nostra ab illis defluxerint, confiteamur in modis inflectendi, & nominandi, & diuidendi, & talia faciendi. Sed de vocabulis rerum alia ratio est : lingua enim Latina, & magna Græcia in Italia fuerunt, ex vicinitate & commercio, vt fit, lingua à lingua aliquid mutuatur. sed hoc pronomẽ ego, quod & Græcis, & nobis cõmune vocabulum est, vtrum Græcitas à Latinitate, an Latinitas à Græcitate sumpserit, relinquitur in dubio, cùm etiam aliquando commune vocabulum vtrique linguæ ex se, & non assumptum esse possit, vt patet. Græcitas dicit ἄρουρα, nos rura : illi'ne adauxerint

nostrum, an nos detruncauerimus suum incertum est, nec temere affirmandum nam prauus apud nos malæ significationis, cùm apud Græcos bonæ sit, sed de his aliàs: nunc ad rem nostram redeamus. Volui hæc retulisse, ne si Punicum verbum aliquãdo occurret, nostrates vt monstrum exhorreant: nam & apud vetustissimos, & etiam apud iuniores non est horum verborum insueta facies: nam in libro nostro Magnifice Laurenti, Punicum aliquando verbum inseremus, vt ad rectam normam inducamus, & cùm familiæ tuæ, nomen Medici fataliter inhæreat, meritò causam præstabit, vt ægrotantem Latinitatem, & maximè in medicina sanitati restituemus, vbi efficax remedium interueniet: sed, si cura desperabitur, quoquo modo nequitiam morbi mitigabimus. Tua nanq; familia, bellis, paci cõcordiæ, languentibus amicitijs, studijs literarum ruentibus, virtutibus tabescentibus medicinam tribuit, vitijs quoq; grassantibus venena miscet, vt citò intereant. Si quid autem incurabile incideret, vbi quorundam peruersorum carcinomata iam conclamata conspicis, vel aliquid sapientiæ applicando, vel aliquid

fur

furoris minuendo efficis, vt ad multos annos etiam inualida non marcescant: si qua autem contagione offenderent, sapientia tua ita separat, vt nunquàm in vnam coëant. Quotiens in Italia bellorum clades, quotiens fomites discordiarum, & ciuilium incõmodorum cumulus emersissent, nisi tuæ sapientiæ perspicacitas id interposuisset, quod omnium malorum remedia præbuit! Nam tanta fide haberis, vt non modo amici, sed hostes quoque te secretorum participem fecerunt: vrbes enim & populi, & principes omnem ægritudinem, omne incommodum medicandum afferunt ad te: siquid enim aut finium, aut oppidorum, aut iuris amiserint te medicante recuperant: odium verò & simultas, quæ plerunque etiam confecta pace inhærent, Laurentij medicamento excluduntur. Sed inter omnia, quæ à te, Magnifice vir, gesta sunt, illud præcipuum videtur, quod nuperrime actum est, quod profectò ad memoriam omnium seculorũ se extendet propter seruati viri excellentiam, cùm Magnificum Ioannem Bentiuolum Bentiuolæ factionis principem, hominem iustum, pium, integrum, armis rebusq; ge-

ſtis clariſsimum à periculo liberaſti. Hic enim Bononiam non modo ædificijs, ſed omni genere magnificentiæ decorauit, ita vt ſi ciues illi Bononiẽſes veteres reuiuiſcerẽt, ita excultã, ita ornatã, ita diuitẽ, ita moribus & doctrina pollentẽ cernerent, vt alteram ciuitatem putarent, & Ioannem Bentiuolum patrem patriæ appellarent, mirarenturq́, profectò humanitatem pariter & clementiam, & ſummam omnibus in rebus fidem: in quo non modo ciues, ſed potentes illuſtresq́; principes ſpem certam eorum regni collocarunt, quem Italia admiratur, externi colunt vt verum ſyncerumq́ue amicum, egregios omnes inuiolata fide amantem. Hunc igitur, Magnifice Laurenti, è maximo illo periculo liberaſti, quod toti Italiæ lætitiam peperit: dolebant enim omnes virum tantum captiuum in manibus inimicorum ſine cauſa eſſe. Hic omnes, Magnifice Laurenti, tuum illum animum, illam tuam fidem omnibus ſeculis celebrandam laudant, ac extollunt. Nam quòd Ioannes Bentiuolus in illo teterrimo caſu quo Iulianus occubuit, & tu acriter vulneratus fuiſti, effecit, cum maxima armatorũ turba in ſubſidium præ-

ſto

ſto fuit, obliuioni nō modo tradidiſti, ſed cumulatam gratiam reddidiſti. Gaudeãt ergo Bononia Florentiaq; Apenninum à ſupero inferoq; mari munientes, quarum altera latiſsimo imperio, totius orbis commercio, artificijs, literis, & rerum nouarum inuentione clara, ita vt in omnem ferè orbem brachia porrexerit, Bononia verò ſuis finibus contenta ſtudiorum mater, vbertate ſoli, & varietate fructuum nulli ſecunda, montibus, collibus campiſque ornata, bellicæ diſciplinæ parens, ita vt integrum Palladis numen habuiſſe cernatur. Gaudeant, inquam, his duobus ciuibus clariſsimis, ac animo & beneuolentia coniunctis ita, vt quilibet ciuitatis ſuæ culmen poſsidens, diuerſo tamen calle incedens, principatum obtineat, & Bononia ſemper ſe debere Florentiæ fatebitur, cum ea ciuem pepererit Ioannis Bentiuoli ſeruatorem. nam Laurentius conſilio, ſapientia, autoritate, diuitijs, modeſtia pariter & amore patriæ nulli ſecundus, tantam adeptus eſt gloriam, vt maximi reges & à nobis remotiſſimi conſilium Laurentij, vt à vate quodam, ſemper expectent. Ad hunc igitur omnes qui malè habetis confugite, & re-

media ægritudinibus postulate, vt sordes inimicitiarum, vt pus discordiarũ eluantur: hic nanque auari superbiq; dominatus ad meliores mentes reducuntur, hic est illa Medicorum familia diuino numine appellata, quæ non corporum sed animorum, statuum, regnorum, principatuũ tyrannidum, seditionum, factionum, rixarumque & simultatum medicamenta conficit, & nõ modo volẽtibus, sed inuitis plerunque ingerit. Si aliqui eo sint animo, vt per simulatam concordiam in excidium aliorum iungantur, cùm volunt aut dilatare imperium, aut alios deterrere, statim Medicæ familiæ medicina paratur, quæ malè hærentia membra diuellit, & tyranni minantes medicamine hellebori repurgati furorem ponunt. Helleborus enim est Laurentij sapientia: ab hac igitur familia omnes quotquot sunt, magni aut parui remedia ægritudinum, morborum curationem petunt. Quamobrem Magnifici Laurentij gesta eò gloriæ deuenerũt, & tanta eorum fama peruagata est, vt ciues colant, principes mirentur, reges extollant, maximi imperatores & satrapæ à fide Christiana alieni sub alio quodammodo cœlo viuentes, & se &

ſe & ſua tantum reſpicientes, ita Laurentium venerati ſunt, vt munera miſerint. Nam rex ille Aegyptius, cui Soldano nomen impoſitum eſt, potentiſsimus ſe maximis titulis ornans, nam eius epiſtolam aliquando ad Vngarię reges lectitaui, vbi ſe regem regum & dominum dominantium, ſubleuatorem oppreſſorum, adiutorem pauperum, enſem mundi, vicariũ Caiphæ referebat. Hic autem titulus longè ſublimior eſt illo, quem Dario regi Perſarum tribuunt autores, inter quos Gualterus Poëta Gallicus carminis Heroici autor non futilis, licet in ſyllabis ſæpiuſcule ex inſcitia Græcitatis peccet, cùm geſta Magni Alexandri deſcribit, ſic de Dario: Rex regum Darius conſanguineusq́ue deorum ſcribit Alexandro famulo. Soldanus ergo tot tantisq́; titulis glorians magnifico Laurentio dona miſit, & inter cætera quem feram, quam Græcia propter confuſum genus cameli & pantheræ camelopardalim vocat. nam Syriæ regionibus, vbi Arabia eſt Soldano ſubiacẽs, ſæpe huiuſmodi mixtiones fiũt, & in Africa maximè, vbi paucitas & cœli & terræ aquarumq́ue efficit, vt omnibus feris ad vnum fontem conuenientibus,

iuuante cœlesti influxu, species speciem inuadat, & sic varietas nascitur. Sed Turcarum imperator, sub quo Constantinopolis est, nomine Laurentij audito præter Turcarum consuetudinem, illum parricidam, Iuliani Germani homicidam trucidandum arbitrio patriæ & Laurentij in vinculis dono misit. Hoc perfecto omnes obstupescunt, vt Turcarum imperator, potentia omnibus maior, nullius cum Christianitate commercij cùm in regno suo Asylū aperuit, vt omnibus ad se venientibus loca sint tuta, audito nomine & fama Laurentij, deleta lege, qua eius regnum multum creuerat. Nam quid aperire asylum sit, nemo ignorat, qui historiā Romuli in mentem reuocat: Hoc igitur facto Turcarum imperator ostendit se pluris facere Laurētij autoritatem & beneuolentiam, quàm omnes, quibus populi crescunt, leges, præsertim cùm palàm omnibus etiam videntibus sceleratum illum proditorem compeditum & catenatum ad Laurentium summa cum celeritate transmiserit.

De Auicenna & quid hoc nomen præ se ferat. CAP. VII.

De

E lingua Punica & Tyrijs mētionem hac de causa, vt dictum iam est, fecimus, ne quis vocabula, quæ iam dudum etiam in Italia in vsu frequentissimo fuere, vt insolentia abhorreat. Ea enim est quorundam hypodidascalorum & leuiculorum hominum consuetudo, vt externa & aliena non sine nausea lectitent: semper allegantium habebunt verba fidem, si

-Græco fonte cadant parcè detorta & illud quoque: *-Vos exemplaria Græca*

Nocturna versate manu, versate diurna,

vt ait Flaccus. Sed hi tales nesciunt tempora esse mutata, cùm latinitas tot exemplaribus abundet, & externorum autorum sit copia penè infinita. At grauitas ac sapientia Romanorum, & doctissimorum hominum natura mosq; fuit celeriter arripere quod vtile honestumque foret vndecunq; veniret, vt Sallustius etiam meminit, ita vt vbi Latinitas aut verbo aut sentētijs indiguit, externorū ope supplerunt. Accidit etiam ad hoc, quòd hominis inconsiderati haberetur, si nomen viri taceretur, cuius autoritate sæpe pro testimonio vtitur, de Auicenna enim loquor, vbi non possum non molestè ferre,

virum tantæ doctrinæ & in philosophia, & in mathesi, & in arte poëtica, (cantica enim carmine rithmisq; composuit) qui signa & causas morborum copiosius veriusque quàm cæteri omnes edissertauit, gloriæ splendore fraudatum, ita vt mortem famæ perennitate euitare nequierit. Quis enim tot huic nomini volumina adscripta composuerit penitus ignoramus. Nam Auicenna non est viri proprium. Mos nanque Tyrijs est patronomymicorum similitudine vti, ita vt aut aui aut patris nomine vocitentur, sicut apud Græcos Anchisiades & Tydides, filios vel nepotes Anchisæ aut Tydei indicant, sed horum nomen proprium supprimunt. in his enim nec Diomedes nec Aeneas apparent, lingua nostra perrarò nisi in Græcis patronymico vtitur: dicitur enim ab Aemilio Aemilianus, & ab Octauio Octauianus Augustus testimonio Sexti Aurelij & Seruij dictus est, cũ ipse Octauius quoque diceretur. Perrarò autem in Latinitate fieri patronymicum asseueraui propter Claudianũ, per quẽ ab Honorio nomine Latino paruus Honoriades formatur. Auicenna igitur corrupto uocabulo hoc modo fit, Aben &

Abon

Abon Punicè dicitur filius, & quoniam diximus linguam Punicam Hebrææ similem, ab Hebræis beni dicitur filius, propter illud quod innuimus cum superius de hac lingua loquuti sumus, memores erimus Hebræam esse Chaldaicam adauctã. Ceni est etiam nomen propriũ apud Pœnos, cũ dici debuisset abenceni, vel abonceni, abon id est filius Ceni, vt si esset patronymicũ Abõcenis Ceni filius, nos corrupto vocabulo b, litera in v, conuersa, vt diuersitas linguarũ efficit, Auicẽnã nominauimus, ita vt filius Ceni quo nomine sit vsus, ignoremus, & cũ Abinceni dici verè debuisset Auicenna exclusa vna, & alia mutata litera comparuit. Esse autem hunc modum appellationis apud Pœnos vnicuique legenti librum Auicennæ patebit, in quo sæpe allegationes autorum demonstrãt à patre illorum, & non à nomine proprio factæ, vt verbi caussa filius Halis hoc dixit. Præterea diuersarum linguarum mos est etiam propria vel hominum vel oppidorum mutare, lingua enim Punica abrachim vocat, quem Hipparchum & Plinius & Ptolemæus nominant, Et id oppidum quod nos in Hispania Tartessum dicimus. Silius

lius Italicus in tertio:

Iam Tarteßiaco quos soluerat æquore Titan,
In noctem diffusus equos iungebat eôis.

Tyrij vocant Gaddir. Sallustius in secundo historiarum, vt alij tradidere, Tartessum Hispaniæ ciuitatem, quam nunc Tyrij mutato nomine Gaddir habent. Sed res ridicula profectò est, & à mulierculis propter medicorũ nimiam frequentiam, cùm de cæteris doctis parua sit apud vulgus cura, ortus est error, vt trium summorum medicorũ nomina à vulgo corrumpantur: de Auicenna patuit, & de Galeno patebit, cum nomen trisyllabum quatuor syllabarum efficiunt. nam cùm dicitur Galienus à Dante, qui gratia metri syllabam addidit in eo loco: Hippocrate, Auicenna, Galieno. sicut apud Ouidium:

-*Rapidißima miluius extis,* pro miluo, Sed Galienus dictus est quidam Romanorum imperator moribus corruptissimis, cujus hi versus esse dicuntur:

Ite simul iuuenes pariter, sudate medullis:
Brachia non hederæ, non oscula uestra colũbæ,

& alia. Hippocrates autem detracta syllaba dictus est Hippocras, & quod in Galeno addidere, detraxere Hippocrati.

De

De Galeno, Hippocrate, & eorum laudibus, & etiam erroribus nonnullis, & vnde dicitur Girapha, quæ est camelopardalis. CAP. VIII.

GALENVS & Hippocrates suprà in mediũ venere, quos breui sermone prosequi esset profectò vitiũ, cùm de Galeno Prima Primi Auicenna, summũ medicũ dixerit, & eodem in loco primum medicorum nominarit Hippocratem, Galenum ergo summum, & hunc primum appellauit. Sed fortasis quidam ex autoritate huius excellentis viri Galenum preponerent Hippocrati, credentes primum Hippocratem dictum ratione temporis. Quoniam Hippocrates Cous trecentesimo ferè anno ab vrbe condita floruit: Galenus verò Traiani tempore Romam venit, sed tempore Antoninorum floruit, qui fuerant ab vrbe condita anno nongentesimo & vndecimo, quot ergo annis prior fuerit Hippocrates nemo est qui ignoret: sed hoc dictum non ad antiquitatem sed ad excellẽtiam referri ipsemet Auicenna Prima Quarti diuinas laudes Hippocrati tribuens declarat: quarũ summam verbis nostris referemus, nam interpret

terpretis verba obſcuritatem pariunt, & Gentilis Fulcinias ea declarãs reddit obſcuriora: ſed hic eſt ſenſus Auicennæ, in illo de Hippocrate ſermone, quem Galenus de quintana, ſextana, & ſeptena febribus quodammodo irridebat. verborum Auicennæ hic eſt ſenſus: Si aliqua nunquam audita aut viſa dicantur ab Hippocrate, quanquam multi negent, autoritas tamen Hippocratis eos vincet: & è contrario, ſi Hippocrates negaret illud quod argumentis philoſophus probaret, & expertus diceret, ſe id experientia vidiſſe, adhuc negationi Hippocratis quàm illis magis eſſet adhærendum. Quanta autem ſit laus hæc, cæcus eſt qui non videt, cùm rationibus cedendum quiſq; arbitratur, imo Manilius ſecundo Aſtronomicôn,

Nam neq; decipitur ratio, nec decipit vnquã.

Sed huic Auicennæ dicto non eſt illud Ciceronis de Platone diſſentaneum. nam in Tuſculanis quæſtionibus ait,

Nec mihi ſanè quicquam occurrit, cur non Pythagoræ ſit & Platonis vera ſententia: vt enim rationem nullam Plato afferret, vide quid homini tribuam, ipſa autoritate me frangeret. Sed quidam imperiti ex adulatione forſan dictum tan

tum

tum Hippocratis præconium crederent, nisi statim occurreret, quod aduersus eũdem vicesima tertij Auicenna narrauit, cùm errata correxerit: inquit enim:

Putauit Hippocrates rectius dici in creatione hominis iecur prius corde gigni, ratione demonstrans nutrimentum primo in corporibus esse necessarium, cuius fundamenta à iocinore nascuntur, nam vt cor viuificat, ita iecur nutrit. Hoc in loco Auicenna longo sermone Hippocratem errasse demonstrat. nihil enim, vt ait, nutriri ali've potest, nisi viuat: hinc concluditur cordis & non iocinoris in animantibus priorem esse generationem. De Hippocrate & Auicenna dictum iam satis est, Ad Galenum sermo redibit. Galeno medico maxima contigit in medicando opportunitas, vt clarus fieret. floruit enim tempore Antoninorum in vrbe Roma, quò cunctus orbis propter vrbis & imperij excellentẽ magnitudinem confluebat, & ea quæ temporibus nostris nunquam videre oculis potuimus, tunc vndique Romam vehebantur: nunc propter imperij angustias non possumus sine manifesto periculo cum remotis nationibus habere commercium,

nisi loca sint maritima: nam pantheras & elephantos pauci admodum nunc, sed tigres in Italia fortasśis nullus vidit, cum imperij Romani tempore omnia admiranda statim Romam cõuolabant. nónne Neroni scapum centum fabarum ex Aegypto allatum legimus? nónne omnes admirati sunt quæ Soldanus magnifico Laurentio dono misit? & præsertim feram ouem quam Græcitas camelopardalim, vt diximus, & vulgus à modo ambulandi, nam quasi in gyrum mouetur, gyrappham à gyro & pede dixit, addita aspiratione, vt tropæum trophęum gyrappham fecerunt. Galenus ergo in exercẽdis medicamẽtis felicisśimus habetur. fuit enim in vrbe Roma florentisśima eruditisśimo seculo: optimis imperatoribus, populo innumerabili, habitudinibus diuersis, vbi simplicium ex toto orbe aduectorũ copia erat, & vbi lingua Græca etiam pueris & mulierculis communis, vt ex Iuuenale, qui etiam illa ætate fuit, habemus, cum ait: omnia Græcè. item, Concumbunt Græcè. & ibi: De Thusco Græcula facta est. Quantæ autem commoditatis sit linguæ commercium, medico præsertim, hi intelligunt, qui per interpretem loquuntur,

tur, cùm non mentem, ſed verba interpretis auditor excipiat, non ſine diminutione & additamento. Nam ſi medicus ægrum per interpretes alloquatur, duplici anxietate hominem afficit, cùm loquẽs medicus quid de ſe ſentiat narrat interpreti, deinde interpretis explicatio magis anxium reddit, imo graui morbo preſſus alleuiatur, cùm particulatim ſua incommoda medico exprimat: nemini enim notiora putat quàm ſibi patienti. Quid autem animæ paſsiones operentur, omnes medici exponunt: nam & hæc inter illa ſex non naturalia connumerantur. Carere autem linguæ commercio maximi incõmodi eſſe etiam ſacra narrat hiſtoria, cùm inter infortunia numerat: ait enim,

Et in ſeruum venundatus eſt Ioſeph, & linguam quam non nouerat audiuit. Galenus ergo ex Pergamo ciuitate oriundus, vbi Aeſculapij numen colebatur, de quo Quintus Serenus:

Qui colis Aegeas, qui Pergama, quiq; Epidaurum. diuino nutu ad medicinam tractus. Nam pater, vt ipſe de ſe narrat, puerum duxerat ad philoſophos, ſed in inſomnijs ab Aeſculapio admonitus ad medicos retraxit. Fuit ergo viſio quædam & oracu-

lum, quandoquidem Aesculapij, qui medicinæ deus habetur, suasione artem eam secutus, in qua maxime excelluit, & cuius nomen diuinitus impositum tranquillitatem humano generi pareret, & cum genitura patris concordare apparet. filius enim & pater in horoscopi trigono aliquo conueniunt, ita vt si parentis horoscopus aries fuerit, in genitura nati horoscopus erit aut aries, aut leo, aut sagittarius, qui trigonum igneum faciunt, & sic de cæteris. Non mirum ergo, si ipse quoque vera somnia nouit: habuisse autem hac in re felicitatem tunc testatur, cùm ait se dubium in medicando in somnis fuisse admonitum, quam venam tangeret, quo facto æger sanatus est, sic enim astra disponunt: vnde Ptolemæus qui ad rem aliquã aptus est, habebit omnino stellam eius rei significatricem, in natiuitate sua potẽtem. Sed cùm Auicenna Quarta Quarti Galenũ gloriantẽ se plures arterias medicasse irridet, non propter rẽ (nã hoc fieri potest) sed propter modũ argumentandi cõtempsit. Et Galenus quidem fato quodã medicus Romæ in tot hominum milibus exercitatus, somnis quoque adiutus, tot habitudinibus, tot regionibus & con

& consuetudinibus obseruatis, & qui se omnia quę ad medicinã spectant tenuisse gloriatur, ab Auerroide & Auicenna & Conciliatore aliquãdo irrisus est, tanquã philosophiæ ignarus, & qui de ramis multum, & de radicibus nihil saperet: & Conciliator in motu Lunæ Galeni errorem deprendit, Auicenna verò Quarta primi Galenum carpit, qui putauit inter attrahentem medicinam & humorem attractum esse in substantia conuenientiam, qua ipsum attrahit, quod verum esse Auicenna negat. Nam si id, quod Galenus ait, veritatem contineret, ferrum attraheret ferrum, cùm eo maius esset: & aurum quoque aurum attraheret, cùm quantitate supararet: sed huius rei consideratio excedit metas medicorum, alterius enim disciplinæ est. Sicut Hippocrates ille, à quo dissentire nefas putant, morsus reprehensionis effugere nequiuit, ita & Galenus, quem summum medicorum appellat Auicenna, & cuius se esse interpretem profitetur, eodem modo reprehenditur, inuitante veritate, quæ tantæ efficaciæ est, vt omnem amicitiam tollat, omnem coniunctionem conculcet, omnia vincula beneuolentiæ rumpat. nam & Aristo-

teles ait: amicus Plato, amicus Socrates, sed pium est veritati adhærere. Non igitur Galeotto imputabitur, si Auicennam, quem ipse semper veneratus est & coluit, & cuius testimonio in diuersis disciplinis vsus est, erroribus plurimis scatere monstrabit: itaque paulò pòst de re hac dicere incipiemus. Non enim errores excellentiam virorum imminuunt, homines enim sunt. Quis enim Augustinum non admiratur licet plurima errata in libro Retractationum ab eo referantur? & Hippocrati ad gloriam accessit, testimonio Cornelij Celsi, cùm se à suturis capitis deceptum narrat, cum os fractum esse crederet. Ait enim libro octauo: à suturis se deceptum esse,

Hippocrates memoriæ prodidit, more scilicet magnorum virorum, & fiduciam magnam rerum habẽtium, nam leuia ingenia, quia nihil habent, nihil sibi detrahunt. Hactenus Cornelius.

De erroribus Auicennæ. CAP. IX.

EVOLVIMVS aliquando commentarios Auerroidis in libros Aristotelicos non sine auiditate & attẽtione: acutissimi enim philosophi ab eiusdem acuminis viro declarati

clarati lectio, non somniculosum neque negligentem hominem expostulat, præsertim cùm Aristotelem Græcia & Athenæ, vbi doctrinarum fontes viguere, Auerroidem verò Hispania, quæ cum Italia nomen commune possidet, vtraq; enim dicitur Hesperia: & Corduba, in qua præclara ingenia pullularunt, diuersis temporibus produxerunt: vnde illud poëtæ,

Duosq; Senecas, vnumq; Lucanum,
Facunda loquitur Corduba:

quibus fortasse in lingua præsertim Latina pares aut similes in suo genere difficile sit inuenire. Lucanus nanque ardens & concitatus testimonio Quintiliani, quod maximum: & nostro iudicio, quod perexiguum est: ex se ferè omnia & non aliunde mendicata in suo volumine inserens laudem meruit maximam: & eo magis, quia Virgilius quem optimum poëtarum omnes, & Augustinus præcipuè vocant, ab Homero ingeniorum fonte mutuatus est, quæ egregium opus fecerunt: sed nos de ingenij acumine, non de operis præstantia sermocinamur: Lucanus enim ex se inuenit, Virgilius verò inuenta & ab Homero accepta

meliora reddens, clauam è manu Herculis extorsisse se gloriatur. Tragicum autem Senecam vel hoc vno præstantissimum iudicamus, quòd Latinitas, tragicis omnibus reiectis, hunc sibi conseruauit: in quo de morte Senecæ philosophi fit mentio, & etiam non est omnino integer. nam quædam Augustinus ex Seneca tragico allegat, quæ nunc non reperiuntur in eo. De Seneca philosopho præceptore Neronis, cum quo Quintilianus inimicitias se gessisse fatetur, non eius testimonio, quoniam suspectum est, vtemur: nam Senecæ plurimum detrahit, sed iudicio nostro freti, excellentissimum ferè in omni genere, vt eius scripta demonstrãt, audacter enunciamus: nam & Quintilianus ipse inimicus, non eius acumen, sed genera dicendi oblique carpsit. Cordubensem igitur Auerroidem horum hominũ exemplo inflammatus summa cum attentione lectitaui, Cordubensem dicimus, nec me mouet quòd de se ipso super secundo libro Canticorum Auicennæ ait, in hac mea regione cótingit, alaudæ & coturnices non sunt in hac nostra insula Andalusiæ, hoc enim & ad regionem referri potest, & sæpe etiam contin-

git,vt idem & propter originem & propter ciuilitatem diuerso modo appelletur, vt Cicero & Romanus & Arpinas est: Lectitaui inquam Auerroidem, & inter cætera summam eius reprendendi Auicennæ,vt æmuli,auiditatem animaduerti, & vnum duntaxat animo nostro adhæsit, quod in commentarijs de cælo & mundo est:ait enim Auerrois Auicennam in naturalibus errasse, tam quia inexpertus loquitur, tum etiam quia ingenio suo nimium tribuit, Vnde cùm ad medicos me transtuli,& Auicennę libros percurri, dicto Auerroidis quasi duce quodam vsus, ne in aliquos errores inciderem,caui: quo factum est vt quædam, licet minima, non inutilia tamen errata deprehenderim. Sed ea quæ vitio translatoris esse putaui, penitus neglexi: non enim doctis viris vitio vertitur interpretum ignorantia. Quid enim vitij in Auicenna fuit, si interpres azaracam Punicum verbū pro clysteri oriculario, quod Latinum est, posuit? est enim clystere oricularium instrumentum,vt fistula,con cauum, quo aqua aut liquor attrahitur, stylo, qui in medio est, reuocato, & illo eodem impulso liquor aquaq; longe ex-

eluduntur, & hoc tale apud Cornelium Celſum reperitur, Clyſtere autem à ſono, & oricularium ab hauriendo dictum eſt, attrahit enim cum ſonitu ſtylo ſæpe reuocato, au autem & o iuuicem ſibi cedunt, vt plauſtrum ploſtrum, Claudius Clodius: hoc enim & plurima quæ paſſim in Auicenna occurrunt, ignorantiæ Latinitatis adſcripſi, quod interpretis vitium eſt. Ea etiam non poſthabui, quæ aut incuria fudit, aut humana parum cauit natura, vt ſermone Horatij Flacci vtar: & talibus maculis Auicenna ſcatet, ita vt Auerroidis ſententiam de hoc viro non appareat ab æmulatione fluxiſſe. His igitur omiſsis de re dicere incipiam. Auicenna Prima Quarti de cura tertianæ puræ ita loquitur, vt ſenſa & nō verba, quæ admodum inepta ſunt, referam:

Et quando cibus in ſtomacho aceſcit, potus aquæ ordeaceæ ceſſet, quæ non eſt concoctu facilis, & ſi neceſsitas vrgebit, iungamus ei radicis apij decoctum, ſed frigidiori ſtomacho: vbi non vehemens febris, ſed impura eſt, modicum piperis ſuffragabitur, vt conſulit Hippocrates, hactenus Auicenna Conſilium autem huiuſmodi Hippocrati attributū nuſquam

in eius voluminibus lectum est, Præterea in toto ferè volumine suo cùm de lacte sit sermo, & maxime in secundo, lac muliebre extollit, omnibus generibus anteferens. Et Prima Quarti, vbi humectantium meminit, humanum brutorum lacti anteposuit: sed in eodem paulo antè, vbi de refrigerantibus loquitur, asininũ prætulit, cùm hæc duo capita, eôdem tẽdant. nam primo humanũ, secundo asininum, tertio loco caprinum ponit, habito semper ad diuersa pascua respectu. Et idem Prima Quarti, de cura quartanæ inquit:

Et fortasse necessarius est helleborus niger: & eiusdem libri, Sexta, helleborus albus & agaricus niger, quoniam ambo sunt similis impressionis: sed libro secundo de helleboro ait, Loco nigri hellebori mediũ pondus ipsius demezereon, & duæ tertiȩ eius de agarico, nigrum ponit vbi album helleborum dicere debuisset: & vbi agaricum tantummodo refert, adiectiuo secernere opus erat, nigrumq; apponere. Sed vnum nó est omittendum ex diuturnitate quartanæ, vt ipse ait, hydropem sæpe oriri, & eius curam esse helleborum, quod etiam asseruit ante ipsum Persius,

Elleborũ frustra, cùm iã cutis ægra tumebit,
Poscentes videas, venienti occurrite morbo.

Sed hæc quæ narrauimus, ex corruptione textus contingere posse arbitrarer, nisi Rabbi Moyses, qui linguam Punicam tenuit, admoneret sermones iteratos in Auicenna non esse conformes. Hæc volui dixisse, ne cùm Auicennam aut non intelligimus, aut errasse suspicamur, statim in interpretem reijciamus: dictum enim Auerroidis non est ab hac sententia alienum, cùm incuriæ & paruæ experientiæ, suo se ingenio protegentem, Auicennam notarit, quod verissimum esse, hæc quæ maiora sunt mox indicabunt, cùm de cicuta sermo erit.

De Cicuta herba vbi mors Socratis, de Hyoscyamo, & de herba Sardonia & risu Sardonico. CAP. X.



APVD maiores & eruditos quidem viros legimus quibusdam musicis instrumentis, sæpe à forma, nonnunquàm à materia, plerunque ab vtrisque nomina accommodata fuisse, nam illud,

-Gracili modulatus auena Carmen,- &,
Nec te pœniteat calamo triuisse labellũ, &,
Hæc te nos fragili donabimus antè cicuta, et,
-Septem

-Septem compacta cicutis fistula,

Quæ Virgiliana sunt, ex forma præcipuè dicta apparent, cùm tamen & calamis, & arundinibus, & cicutis, & alijs huiusmodi pastores pro fistulis vti potuerint. Concaua enim sunt hæc omnia & peruia, foraminibus variabilia, quod ad musicos cantus vocis inflexione pertinere certũ est: foramina nanque & grauem & acutum & inter hos medium reddunt sonos, ita vt musici digitis percussus in foraminibus aër, nunc plenum, nũc grauem, nunc crebrum, & sæpe extentum : &, vt habet, vibrantem & intortum concentum faciat : & hoc in tormentis musicis, quod nares in corpore humano operatur : plurimum enim iuuant pronunciationem, siue acutè, siue grauiter, vel alijs modis vociferari optamus: Vnde Persius,

Rancidulum quiddam balba de nare locutus.

Quòd autem à forma dicantur, primo Metamorphoseos Ouidius sic monstrat:

Non tuba directi, non æris cornua flexi,

Cum aliàs cornu materiam perspicuam dicat Plautus:

Qui, vulcanum in cornu conclusum geris,

laternam indicans, loquitur. Sic etiam in alijs accidit: nam Ouidius in libro de Remedio

medio amoris ait:

Pixides inuenies & rerum mille colores:

quibus buxus, id est materia, nomen dedit. Sed cùm nobis legentibus occurrunt æreæ pixides, cùm non amplius ex buxo arbore sint, à forma illa prima nomen remansit. Hoc etiam modo de cicuta & alijs quoque narrandum est: nam fistulas musicas cùm nomine cicutæ nuncupamus, respicimus formam: thyrsus enim cicutæ herbæ, concauus, fistulosusq; est, si aliquando ex eo fistulam olim temperarint, ætas tamen sequens fistulas ex alia materia faciens à similitudine cicutas, auenas, calamos've propter nomen priscum vocitauit. Sed his omissis de cicuta loquemur herba, quam Dioscorides conion vocat in suo volumine optime describens, cum ei thyrsum nodosum vt fœniculo, & semen vt aniso, & folia ferulæ similia esse commemorat: & idem autor hanc herbam in Creta, in Chio, & Attrica regione vehementissimã esse asserit, nec hoc mirum cuiquã videri debet. nam helleborum aliàs feralem Anticyra insula salutarem gignit, quod & poëtæ non tacuerunt:

Si tribus Anticyris caput insanabile nunquã

Tonsori

Tonsori Licino commiserit.

Regio igitur varia, varietatem virtutis plantis sæpe tribuit, sed vt tandem ad Auicennę errata veniamus, hanc herbam vocat Punicè succaram, quam penitus ignorauit: nam cùm de ea loquitur, ita fluctuat inter Rufum & Messalam, vt puer esse videatur, & quasi cæcutiens dicit folia cicutæ esse similia folijs cucumerum, quod profectò nisi de colore intelligat, ita ridiculum est, vt nihil suprà: Sunt autem cucumeri folia, cerulea, similitudo coloris in herbis est futilis demonstratio. Et rursus vt amens ait: Messala non bene dixit, quoniam putauit esse speciem hyoscyami: & postea ait: ego autem dico quod est euphorbium in Græco, translatum fuit succaram, & quandoque proportionem habent ad albengi, id est hyoscyamum: accidentia euphorbij & homines diuersa loquuntur in eis. Ex his ergo dictis conijcimus apud Pœnos cicutam fuisse ignoratam: nam Constantinus calidam siccamq; putauit, in quo & Auerrois errans quod euphorbij est, cicutæ tribuit: & Petrus Aponanus, quem Conciliatorem vocamus, ridicula quædam narrãs, videtur se ipsum corrigere,

cùm

cùm se remittit ad meliorem sententiam: versus tamen qui dicuntur esse Macri frigidam cicutam, sicuti est, decantant:

Frigida letiferæ vis & natura cicutæ,
Vnde necat gelidi potentes more veneni.

Mira igitur fuit Auicennæ ignorantia, cùm cicutam ab euphorbio penitus discrepantem euphorbium putauit. Euphorbium nimia caliditate, & cicuta frigiditate occidit: hæc congelando, & illud soluendo necat: Cicuta stupida reddit membra, euphorbium verò excitat. Constantino autem & Auerroidi vt Auicennæ inuitatoribus indulgemus, Sed cũ in illo fluctuante sermone Auicenna dicit succaram esse frigidam & siccam, ad hyoscyamum relabitur, adhuc cicutam ignorans; hyoscyamus autem cùm triplex sit, tantùm illam Galenus comprobat, cuius semen est album: aliæ autem quarum semina vel nigra vel subruffa sunt, penitus improbantur à medicis: lethargum enim & insaniã pariunt, quapropter Serenus:

Et quæ vulgari sermone insana vocatur,
Græcus hyoscyamũ propria scit discere lingua.

Albi igitur hyoscyami & semen & florem Galenus probat, Sed in cicuta non est tanta memoriæ rationisq; iactura: non enim

enim insaniam parit, cùm eius radix nimia frigiditate sanguinem cōgelans enecet, ex qua olim perniciosam sorbitionē Athenienses Anyti Melitiq; accusatione corrupti, Socrati philosopho miscuerunt: Socrati inquam omnium terrarum lumini, quòd è cœlo ad nos philosophia adducta Platonem alterum disciplinarum lumen erudijt, qua quidem sorbitione, cum per annum teterrimum carcerem habitasset, vitam finiuit, Persius:

-barbatum hoc crede magistrum
Dicere, sorbitio tollit quem dira cicutæ.

& Iuuenalis de eodem,

-& hunc olim laudastis Athenæ,
Nil præter gelidas ausæ conferre cicutas.

Cicutam igitur Auicenna, cùm aliorum dicta miratus est, nequaquam cognouit: quoniā hyoscyami speciem esse sibi ipsi persuaserat, cùm inter se differant maximè, vt ratio quoque monstrat: nam veneno hyoscyami & cicutæ veneno diuersa subfragantur. huius enim virus vinum merū calidum cùm ruta inter cætera tollit: hyoscyami verò nequitiam, feruens mulsum & quodlibet lac, sed maxime asininum ebibitum fugat, & destruit testimonio Cornelij Celsi, qui hæc diuersa

uersa commemorat. Sed vinũ meracum medicamini adiunctum, omnium venenosorum commune remedium est, vt legentibus sæpe occurret: est etiam Auicennæ quædam pertinacia in radice syluestris mali punici, quam Punicè mugath communitas medicantium vocitat: ipse autem fluctuans in quadam descriptione, quid sit, non bene edocet, imo legentes incertiores reddit: sed hoc vt leue peccatum ignosco, cùm doctissimi viri se multa ignorare fateantur. Nam Plinius trigesimo Naturalis historiæ phriganion quod animal sit dicit se ignorare, licet Chrysippus philosophus quartanæ asserat esse proficuum, & Auicenna Quinta Quarti, cùm de Serbadion meminit, ingenuè profitetur se ignorare quid sit, cùm vim eius teneat: inquit enim: Est medicina ex qua accidunt permixtio rationis, & tetanus ita vt accidat labio eius tensio similis risui, & Græci exemplo quodam, ipse ridet risu sebardion, Hactenus Auicẽna. Vtinam vir tantus Græcitatem aut Latinitatem tenuisset. Græcitas nanque docuisset, & natura in linguam Punicam traducta declarassent risum Sardonicum ex quo percepisset her-

bam

bam illam, quã ſardoniã vocamus. Virgil.

Ergo ego Sardois videar tibi amarior herbis.

Quam quidam apium riſus, quidam verò apiaſtrum dixere, de qua ſic Seruius: In Sardinia naſcitur quædam herba, vt Salluſtius dicit, quæ Sardoa dicitur, apiaſtri ſimilis, quæ ora hominum triſti dolore contrahit & quaſi ridentes interimit, hîc eſt ô Auicenna, tenſio labij & tetanus, & hinc eſt riſus Sardonicus in Græcorum prouerbio, vt Cicero teſtatur in familiaribus: & Statius de Tydeo ait,

-& formidabile ridens.

Nam ſicut mors ex Sardoa herba non ſine riſu contingit, ita irati hominis riſus ad inferendam necem parati hac ſimilitudine Sardonicus dicitur. Nam Tydeus ille qui quingenta Thebanos neci dederat, & in Italia ferè tota ex hoc manauit dictum frequens, vt cùm aliquid quod non placet audimus ab aliquo illum nobis riſum mouiſſe narramus qui eſt Sardonicus. Dolemus igitur plurimùm hunc excellentiſsimum hominem caruiſſe Latinorum translatorum adiutorio, quoniam non incidiſſet in huiuſmodi cæcitatem: præterea Sexta Quarti, vt vir clarus, palam profeſſus eſt inſcitiam. Nam

cùm de morchion loquitur, ait hanc medicinam ignoro: sed existimo quòd sit similis napello: nec etiam hoc vitio vertimus, Sed id reprehensione dignum putamus, quod se nosse putauit, & maxime ignorauit.

De aconito, napello, alabcha id est, Persea.

CAP. XI.

MEMINI me promisisse de aconito mētionem facturum, tempus iam est quod fuit in pollicitis exequi, Aconitum omnium venenorum ocyssimum ait Plinius, ita vt tactis eo genitalibus brutorum sexus fœminini, animalia integrum diem non vixerint, est igitur venenorum malorum nequissimum, quamobrem è spumis Cerberi, qui canis inferorum est, natum poëtæ finxerunt: & ea est aconiti natura, vt hominem occidat, nisi inuenerit quod in eo perimat: sed si ei venenum occurrat cum quo colluctetur, relicto homine venenum inuadit & perimit. Est igitur venenorum venenum, & ocyssimum quidem aconitū: statim enim enecat. Sed nos id vocamus, quod Auicenna napellum. napellus nanque vt in eiusdem autoris libro secundo legimus, est venenum

num perniciosum, calliditatis & siccitatis summæ: & tamen ex eo coturnices nutriri aiunt: Aconitum ergo & napellus idem esse videntur, quoniam testimonio Plinij & Auicennæ quoddam venenum reperitur quod est venenorum acerrimum, noster aconitum, Punicus napellum vocantes. Et cum sit species hellebori perniciosioris, vbi vis theriacæ conflaccescit, vt diximus, quanquàm Sexta Quarti de cura napelli dicat, & theriaca magna quandoque confert in eo vsque ad terminum, quod non aduersatur superiori dicto, prudenter enim dixit: quandoque confert in eo, nam locis & temporibus & habitudinibus frigidis vsque ad certum terminum conferret, Græcitas aconitum, Latinitas veratrum, quasi virus atrum vocat: Lucretius quarto,

Præterea nobis veratrum est acre venenum:
At capris adipes & coturnicibus auget.

Acre igitur venenum coturnices nutriēs est, & napellus hoc idem efficit. Erunt ergo helleborus vterque & aconitum siue veratrum tertia hellebori species: nam Plinius vigesimoquinto Naturalis historiæ, cum de helleboro meminit, ait, Italia veratrum vocat, eo sermone non videtur

omnino probare omnem helleborū hoc nomine appellari, reijcit enim hanc appellationem in vulgus, nam alio modo in eodem capite cum rem probet, vt cum de Parthenio loquitur, hoc vtitur sermone: Herba quæ à Mercurio inuenta est, apud Græcos hermipetam multi vocant, eam apud nos omnes mercurialem, hoc videtur probare quoniam in alios non reijcit. Erit ergo hæc species hellebori in montibus Iustinopolis, aconitum teste Dioscoride, apud Tyrios, vt dictum est napellus, inter Latinos veratrum, de quo Persius:

Non est hic Ilias Acci ebria veratro:

Venenum enim veneno excluditur, hoc per excellētiam veratro tribuimus, quoniam omnium venenorum è plantis acerrimum esse constat, cum & in alijs quoq; eadem ferè natura est. Nam si venenum miscuerimus, homini saturo non ita nocet, vt ieiuno, aliquid enim habet cum quo pugnans, ne noceat retardatur, sed si toxicum inuenerit, quod fortius quàm cibus resistit vires suas consumens, innoxium profecto est: Vnde Ausonius Gallus, poëta & medicus peritissimus de se ipso enim ait,

Nomen

Nomē ego Ausonius nō infimus arte medēdi,
Et mea si nosces tempora primus eram:

De veneno ita locutus est:

Toxica Zelotypo dedit vxor mœcha marito,
Nec satis ad mortem credidit esse datum,
Miscuit argenti letalia pondera vini
Cogeret vt celerem vis geminata necem:
Diuidat hæc si quis, faciunt discreta venenum,
Antidotum sumet, qui sociata bibet:
Ergo inter sese dum noxia pocula certant,
Cessit letalis noxa salutiferæ.

Toxicum igitur toxico opprimitur, nec te decipiat carmen Ouidij in III. de Arte amandi.

Et dare mixta viro tritis aconita cicutis
Accepto Venerem munere si qua negat,

Quoniam nō duo venena miscet: alterum enim, id est aconitum pro toxico vehementi ponit, ac si diceretur, dare poterit aconitum, id est toxicum factum ex cicutis tritis, ita vt aconitum non nomen illius herbæ proprium, sed appellatiuum nocumenti sit. Sed cum ad Latinitatem verbum Punicum reuocatum est, nō erit incongruum, & aliud quoque inter toxica numeratum declarare, vt cognitum vitemus. Nam Virgilius nō inter postremas Italiæ laudes illud cecinit,

Nec miseros fallunt aconita legentes.

Venenorum scilicet cognitionem, vt euitentur, esse necessariam, Alabcha Punicè, Latinè persea est, de genere prunorum, vt ait Plin. x v. Naturalis historiæ, & hæc arbor venenosos fructus producens, in Aegypto translata naturam mutauit, fructus producendo salubres: Nec hæc, vt multi putarunt, est persicus arbor: quoniam nusquam noxia, sed persea venenosi pruni productrix: in Persia Auicenna Septima Quarti: sicut narrauit Galenus quòd arbor nominata Alabcha in Persia venenosi fructus, in Aegypto plantata fructus gignit esui aptos. Columel. verò de cultu hortorum optimè declarat:

Armenijs, & cereolis, prunisq; Damasci:
Stipatur calathi et pomis quæ Barbara Persis
Miserat, vt fama est patrijs armata venenis.
At nunc expositi paruo discrimine læti,
Ambrosios præbent succos oblita nocendi,
Quinetiam eiusdem gentis cum nomine dicta
Exiguo properant mitescere persica succo.

Sunt igitur diuersæ persea & persicus, nam persea noxa, venenosa: persicus verò persica salubria ex eadem regione produxerunt. Sed cùm pruna sunt in patria Perside, venenũ habent, et illud in Aegy-

pto

pto deponunt. Persicus autem, vnde persica vbique bona est: huius autem arboris folia abscindunt, vt ait Auicenna odorem psilotri, cùm ex eis fit linimentum, vt cùm loquitur de febribus persica in quartana non prohibet. Nemo igitur nominis similitudine decipiatur: nam multa talia occurrunt. Barbaria enim in antedictis, pro Africa cum sit, & nomen insulæ Gangetis Indiæ fluuij testimonio Ptolemæi. Vnum tamen semper memoriter tenendum est, consuetudine naturam vinci, nam venena maximè perniciosa nutrimentū quibusdam ex consuetudine tribuisse legimus: Napellus enim quem aconiti nomine contineri indicauimus, & veratrū Latinè diximus, quandam anum nutriuit portiunculis minimis in principio exhibitis, deinde paulatim adauctis, facta edendi assuetudine au tore Galeno, Auicenna confirmat, Sexta Quarti, & ibi quoque narratur, ex autoritate Rufi, nutritā veneno fuisse puellam, vt eius afflatu reges occiderentur: Est igitur vis consuetudinis maxima, cùm mulier anus napello vixerit, & puella veneni acceperit nutrimēta: et Petrus Aponanus Conciliator, decimo Problematum

obliuione tactus, peruersè Auicennam attestatur: puellam enim, & non anum napello nutritam dicit, cùm puella veneno Rufo teste, & anus napello Galeno dicente vixerint: quod profectò homini aduertenti non est parui erroris, vt anum debiliorem assuetudo veneni perniciosioris aluerit.

De veneno non præsentaneo, sed ad diem præfinitum exhibito, contra nonnullorum sententiam, & de imagine serpentarij, qui dicitur Ophiucus. CAP. XII.

IN omni ferè ætate quæ medicamentorũ experimẽta percalluit, mentibus hominum insedit, posse venenum tale temperamentum suscipere, vt non modò impræsentiarum, nec paulò pòst sed ad longum tempus hominem iugulet: de temporibus nostris nihil, cùm vnicuiq; hæc opinio inhæserit, sed de Romanorum grauitate pariter & sapientia loquar, & Marci Reguli exemplum referam. Aulus Gellius nanque libro VI. Noctium Atticarum historiam Reguli tetigit, cum is in senatu narrauit, venenum sibi Chartaginenses dedisse, non præsentaneum, sed eiusmodi, quod mortẽ in diem proferret,

ferret, eo consilio vt viueret quidem tantisper quoad fieret permutatio: post autem grassante sensim veneno cor tabesceret. Fuit ergo de temperamento veneni vetus opinio, alioquin Regulus senatui permutationem nullo pacto faciendam esse persuasisset, hoc volui inseruisse propter nonnullos sciolos, in medicina opinantes hanc de veneno sententiam ab aniculis deliris esse confictam. nam ex sententia Auicennæ venenum non contrarietate tantum, sed proprietate grassatur, ex qua quidem re coniectamus in venenis esse præter excellentem qualitatem frigoris aut caloris, humoris've, aut siccitatis malignam naturam, ac perniciosam: si enim qualitates supræmæ semper occiderent, plurima saluberrima sunt talia, quæ perniciem inducerent: nam euphorbium & anacardus qualitatem quarti ordinis obtinent. Cicuta verò & opium eiusdem in frigiditate gradus esse noscuntur, quæ quidem omnia non vt eiusdem ordinis statum obtinent, sed quia de natura sua perniciosa sunt, enecant: allium enim, piper, sinapis, quæ salubria sunt, in summa caliditate, & aqua gelidissima, & opium Aegyptiacũ quarti

ordinis, frigiditatem ſaluberrimam obtinent, vnde vt certo cognoſcimus, non qualitatis gradu, ſed proprietate venena enecant. Caſsius enim Felix inter medicos peritiſsimus, feruenti febre languentem gelidiſsimæ aquæ larga potione ſanauit: opium verò Aegyptiacum tranſlatione plantatum, depoſita nequitia, retentaq́; frigiditate in eſculentis vicẽ olei ſupplet. Natiua igitur pernicies, qualitatum vehementia ſtimulata venenum eſt, hominemq́; occîdit. Opium enim quem ſopionem, quia ſopit, vocauit antiquitas. Catullus, Frontem tabernæ ſopionibus ſcribit, non vehementia frigiditatis, nec euphorbium immenſa caliditate, ſed natiua nequitia extinguunt. Sed hæc venenorum natiua proprietas, vt cætera medicamenta, & calcar & frenum patitur. Concitari enim aut tardari aliorum permixtione poteſt: nam ſi medicinam pro ſanando pulmone exhibemus, neceſſe eſt per maximam pulmonis à ſtomacho diſtantiam, diſtantiam inquam viarum & non ſitus: tranſuerſo enim ſepto, quo ad ſitum ſeparantur: attamen longis venarum anfractibus medicina à ſtomacho ad pulmonem vſque defertur: neceſſe eſt

inquam

inquam illam aliqua mixtione tardemus, vt tandiu duret, quo ad iter compleat. Sic etiam venenis frena addimus, ne currant ad cor: quibus demptis, aut tabefactis venena peragunt quod intendebant: Frena autem reperiri plurima, quis dubitat? nam iuglandes, auellanæ, oliuum, Sphragis, crocus veneno non sunt contraria: & tamen venenatis sæpe succurrunt. Iuglandium, auellanarum, oliui glutinositas venenũ irretit & illigat, ne quò vult proficiscatur, & sphragis quam terram sigillatam nuncupant, meatus occultos obstruens, efficit vt ad exteriora corporis tendat, & superficiem foras exire cogatur, Lemnia enim rubrica, teste Plinio XXXV. Naturalis historiæ, non nisi signata venundabatur, vnde & sphragidem appellauere. Crocus autem cor roborans efficit, vt ad nequitiam veneni repellendam fortius sit: Hæc ergo venenis nó aduersantur, sed partim muniunt, partim verò illigant. Præterea sunt quædam toxica particularia: nam cantharides vesicam, lepus marinus pulmonem exulcerãt. Sed exulceratio pulmonis nó subitò, nec paruo spatio, sed temporis diuturnitate populans hominem, tabefaciendo consum

consumit, quod & Ouidius cecinit.

Cernis vt è molli sanguis pulmone remissus
Ad stygias certo limite ducat aquas.

Et quanquam Galenus vlcerati pulmonis consolidationem fieri posse arbitretur, tamen non omnium in ipso vlcerum cura speratur. Sed vt ad rem nostram redeamus, plurima sunt, quæ aliorum societate ac mixtione, & augentur, & minuuntur in potentia. Magnes enim præsente adamante ferrum nō attrahit Plinio Albertoq; testibus: sic etiam serum lactis, melba, & agaricum zinziber concitant, sunt enim eis hæc duo calcaria, sicut adamas est magneti frenum. Accedit etiam ad hoc quod Ophiuchi, id est, serpētarij imago in precioso lapide insculpta Venerem hebetat: est autem nudus homo serpente cinctus, ita vt dextra caput, sinistra verò caudam teneat: Hæc autem imago, vt mathematici dicunt, & maxime Albertus, omnium venenosorum ictibus medetur: nam vt toxica ab astris proprietatem noxiam sortita sunt (hæc enim lumine, motu, situ, inferiora gubernant) ita etiam cœlitus remedia nobis parata sunt: & ne diutius his in rebus moremur, quinis intelligit mixtionē ac societatem re-

rum

rum plurimùm posse: nam caro omphacij adiunctione tardius in stomacho, sed si sinapis addatur, celerius concoquitur. Illud enim hebetat, hæc autem calorem excitat, & hoc pacto temporis productio, corruptione in rebus cõtingere possunt. Præterea sæpè accidisse vidimus, & Auicēna attestatur, à cane rabido morsos aliquandiu incolumes vixisse: & tamen illo eodem veneno quasi ex insidijs prosiliente homines expirasse. Nam plerunq; post morsum canis die quadragesimo, aliquando primo anno, & sæpe septimo interijsse nouimus. Virus enim canum non fuit tunc pręsentaneum, sed ad præfinitum tempus delituit, & postea occidit: ita vt inter incommodum veneni & mortem fuerint longa tempora, nec me mouet quorundam iuniorum fallax argumentatio, cùm ostendere nituntur toxicum calidum perniciosius esse frigido, eo quòd calor exedit & consumit: frigoris autem vis conseruat, ac si frigidi toxici cõsumptio timeretur: nemo enim hoc garrit, sed si aduertamus, inueniemus venena frigida longè esse calidis deteriora. Calidum enim virus tabefaciendo enecat: hoc autem sine mora fieri non potest: at

at frigidum congelatione, quæ momentanea eſt, hominem iugulat. ſanguis enim & ſpiritus noſtri congelatione oppreſsi mortem afferunt. Quapropter non ſine ratione diligentiſsimus poëta cecinit:

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis,

vt ſi per excellentiam venenoſa appellare voluerimus, frigida dicamus. Proprietas igitur venenoſa iuncta calido, vt in euphorbio: & frigido, vt in cicuta: & humido, vt in argento viuo: & ſicco, vt in aconito: habet, vt dictum eſt, & calcar & frenum: tardatur nanque eius nequitia, visq; graſſandi, & acceleratur quoq; pro qualitate mixturæ: nec, vt diximus, toxica ſummis qualitatibus, ſed proprietate efficiunt. Sic etiam de ſarcophago dicere poſſumus, qui lapis carnem non qualitate, ſed proprietate conſumit, de quo ſepulcra fecerunt. Iuuenalis:

Cum tamen à figulis munitã intrauerit vrbẽ
Sarcophago contentus erit.

Hæc autem omnia ab aſtris inſita ſunt: & ſtellæ fixæ ad contrarias diſpoſitiones, vt rarum natura fert, adducunt. Sed obliuioni minime mandandũ eſt, rebus eiuſdem ſpeciei non ſemper eſſe virtutem parem. Locus nanque & inepta materia

variant: nam cùm sapphirorum speciei astra, vt oculis prosint, tribuerint: non tamen, vt narrat Albertus, omnibus indiuiduis sub hac specie contentis hoc inditum est. hic enim sapphirus prodest, ille verò nequaquam, & vt huic rei aliquando modum imponamus: asserimus venenum præfinito tempore nociturum dari posse, non tamen ita præfinito, vt ad punctum vsque conueniat, pro actionis diuersitate, & eorum habitudine qui patiuntur: & hoc simile est dictis medicorum asserentium humores diu crure aut cerebro detentos aliquando solui, ita vt à pedibus, cruribusq; ad cerebrum vsque trahantur, comitialem morbum & attonitionem, id est apoplexiam, inducentes: & materiam quandoque, quæ diu cerebro adhæserat, nexu soluto ad pulmonem delabi, & anhelitum impedire, vt experientia nouit: virtus enim animæ & grauia sursum & leuia deorsum sæpe depellit, atra enim bilis, à liene ad stomachum cum de natura sua grauissima sit, terrea enim est, & bilis quæ leuissima noscitur, cum igneam naturam induerit, à felle ad intestina eiusdem animæ virtute delabitur. Hoc autem de veneno ad tempus declarato,

clarato, nam ſuperius fieri poſſe patuit, cùm & venenorum nequitia & tardari & concitari facilè poſsit, non videtur incongruum, an huius conficiendi toxici ars & vſus rectè ex quadam ſimilitudine familiæ Medicceorũ in promptu ſint. Nam quidam vir clariſsimus me præſente cùm de Magnifico Laurentio honorificam mentionem faceremus, cùm eius prudentiam pariter, & animi magnitudinem, & virtutum præſtãtiam miraremur, cum quadam animi iucunditate dixit: nos oues, & ille paſtor, nam quocunque vult Laurentius, ducit, pax cùm ipſe innuit, ſubito exoritur, & cùm renuit, naſcitur bellum, ita vt ſummis aliquando timoribus orta ſit inſperata tranquillitas: hoc fieri non poteſt, niſi his medicus exiſtat, qui ad tempus & profutura & nocitura medicamenta contemperat: hoc etate noſtra vidimus familiæ Mediceorum eſſe peculare. Cùm plurimi coniuratione facta aduerſus Florentinorum rempub. vt eam libertate priuarent, adhibita Laurentij prudentia, vt quodam medicamine diſsidiũ fecerint, ita vt quaſi veneno ſanati, factioſam illã ac pernicioſam mentem exuerint: ea enim veneni ratio eſt,

est, vt venenũ pellat, sicuti suprà narrauimus. Nã sæpe querentes audiui Laurẽtij sapiẽtia ita se illaqueatos, vt ab eo mutata mẽte discesserint, ac si inuiti, id quod Laurentius mandarat facere cogerentur, & post peractum negotium lætantes, quoniam eum quem non sperarant rerum finem habuere, nã Medici Laurentij antidota ad tẽpus latuere, & postea patuere.

De humoribus corporis nostri, & de insania, & Gallis Leones terrentibus.

CAP. XIII.

CONGELATIO humorũ, quã venena frigiditate conficiunt, vt asseruimus, nos admonet, vt de corporis nostri, siue succis, siue humoribus sermonẽ faciamus. Humores enim nostri, & numerum, & qualitatem elementorũ imitantur: sunt enim numero quatuor: vt bilis, atra bilis, pituita, sanguis. Bilis quam choleram, calida siccaq́, ignis elementi similitudinem gerit, subiacet Marti & Soli præcipuè: vterque enim calidæ siccæq; naturæ esse cognoscitur. Atra bilis, quã melancholiam vocamus, obedit Saturno, cuius naturam imitatur: nam vtrunque frigiditate siccitateq; pollentẽ videmus: de natura enim

terræ atra bilis est, quam frigiditate & ficcitate scatentem, de natura sui sterilem putamus: sed cœli auxilio fertilitatem sortitur. Pituita quæ phlegma est, aquæ elemento assimilata, Lunæ & Veneris humido, frigidoq; pollentium dominium sequitur, & pituitam huiusmodi esse rationes asserũt. Sanguinem Iupiter aëri persimilem, caliditate siccitateq; sibi ipsi consentaneum optima ratione vendicauit. aër enim & sanguis, & Iupiter humorem calidum occupant. Is igitur, & planetarum, & elementorum, & humorum ordo existit. Sed de atra bile siue melancholia sermo habendus est accuratior. Nam cum eã nominamus, molestam & grauem, ac tenebrosam, & vt insaniæ materiã, rem intelligimus: inducit enim furorem: & vt furor & insania plerunque in bonam partem accipiuntur: vt,

Insanire libet quoniam tibi pocula ponam.

& siue quicunque furor: ideo de melancholia sermo distinctè est habendus, & paulò pòst optime patebit: quoniam melancholia est aliquando sapientiæ fomes, sicuti Aristoteles in Problematum libro, cur melancholici acrioris sint ingenij rationibus explicat, quod Cicero in

in Tusculanis quæstionibus per iocum vsurpauit, dum ait: se tardioris ingenij esse non molestè ferre. Sed de melancholia Auicenna Prima Quarti ait: aliam esse fecem sanguinis, aliam esse eiusdem adustionem, & quasi humorum cinerem, & ideo ab vnoquoq; humorum melancholia gigni, fieriq; potest, quoniam vbiq; ex adustione cinis efficitur. Sed hoc nomen melancholia Græcè dicta sæpe humorem natiuum, & nonnunquam aduentitium sonat, ita vt pituitæ, sanguinis, bilis, & sui ipsius sit partus. Hoc autẽ euenit, cùm humores putrefacti non expelluntur: sed cùm melancholia augmẽtum fecit, deinde marcescit, statim quartanam febrem adducit. Cuius curam medicina sectæ nostræ difficilem putat, sed clinica medicina, vt ait Plinius, in ea propemodum nihil pollet, &, vtcunque res sese habeat, certissimum est, difficillimam esse quartanæ curationem, vt ratio ostendit. Nam in ea duo contraria vno medicamento repellendi se offerunt: febris enim caliditate grassans frigido indiget: & humor melancholicus frigiditate incommodans calido indigeret, ita vt si altero defeceris, alteram contrariorum partem

Febr. quartana vnde.

adaugeas necesse est. Calidum enim febrem, & frigidum melancholiam infestant, & causa remanente morbus etiam viget, sed vt ad rem nostram redeamus, atra bilis Latinè acrioris significationis est, quàm melancholia Græcè: nam apud nos furoris & insaniæ materia est: ideo medicina in frequenti vsu Græcum nomen vsurpat. Melancholia igitur Saturno tardissimo planetarum subiecta inter humores tardissimo motu infestat. De quarto enim in quartum exasperatur & recrudescit, cùm sit frigida siccaq;, & sapore acida. Bilis, id est cholera, Martis motum sequens tertianam facit, vt Mars tertius à Saturno. est calida & sicca, & saporis amari. Continuam febrem sanguis Ioui subiectus efficit: nam in venis versatur accessio: & sanguis calidus, humidusq;, & sapore dulcis Iouem sequitur: qui viuificantibus qualitatibus pollens, vt humor calorq; cócipiunt, & ab his oriuntur cuncta duobus: Saturno aduersatur qui & frigido & sicco infestat: sed Iouis benignitas nequitiã Saturni superans, efficit vt illud Ouid. in mediũ adducamus,

Postquàm Saturno tenebrosa in tartara misso,
Sub Ioue mundus erat.

Contin

Continuam ergo febrem sanguis efficit, vt in venis existens, & omnibus membris familiaris omnes sedes occupat. Quotidianam verò febrem pituita, quam Lunę tribuimus, procreat. quæ celerrimi motus est: de die enim in diem mouetur: sui planetæ celeritatem imitatur: Est enim Luna inter planetas motus celerrimi, Veneris autem bonitate. nam & hæc quoq; pituitam agitat, febris celerem quidem, sed interpellatum motum retinet: sed pituita frigido humidoq;, & sapore salso libera est in humanis corporibus: nam bilem vesicula fellis, quam Græci cystim vocant, atram bilem lien, sanguinem venæ continent, Hæc sola vasculorum immunis quocunque libet vagatur. Illud tamen non omittendum, nunquam ab his humoribus morbos gigni nisi cõputruerint. Sed nemo sibi persuadeat à melancholia duntaxat quartanam fieri: nam & pituita aliquando huiusmodi febrem facit, vt medico intuenti apparebit: interea vt apud Græcos medicos, choleræ aliquãdo appellatione omnes humores continentur: ita apud nos bilis significatio latissima est: Persius,

Continua feb. quando.

Febr. quotidiana vnde.

Ab humoribus quãdo morbi fiant.

-surgit tibi vitrea bilis. Horatius,

-ô ego lænus!

Si purgor bilem sub verni temporis horam.

Vnde & bilis pro ira accipitur: quoniam humor vt est in corpore diuersus, ita varios inducit affectus. Bilis ergo calidæ siccæq; habitudinis concitatrix est iræ, citò enim accenditur: pituita verò abundans, propter sui & humiditatem pariter & frigiditatem vix accendi potest: tales enim aut nullius, aut tardissimæ iræ sunt. At sanguineus ebullitioni ex felle patens facilè inflammatur: Bilis enim admodum leuis, nam ignem imitatur, sursum è vesicula ad cor calidum tendens, minima de causa in iram præcipitat, cùm melancholici sicco frigidoq; oppressi perpaucorum spirituum, gelato, vt ita dicam, corde: sic enim ait Lucanus,

-Stat corde gelato,

tales sunt, vt imaginibus & terribilibus quidem ex nigro vapore coortis agitentur, & in fugam nimio timore vertuntur: Mediocris verò timor sapientes reddit: ait enim in Rhetoricis philosophus: timorem præbere causam consultationis: consultationem verò sapientiæ. Vnde & in sacris, Initium sapientiæ timor domini. sapiẽs ergo fugit, cum opus est. Sed nimius

nimius timor è ſtatu mentis hominem deijciens conſultationis locum negans, id efficit quod narrauimus. Vnde ſi ſtrictus enſis bilioſo oſtenditur, accendit eum, audacioremq; reddit: ſanguineum quoque in furorem concitat: nam excluſis vaporibus propter leuitatem, terror nullus adeſt, ſed idem enſis ſtrictus, vbi paucitas ſpirituum eſt & caloris ægeſtas nigris vaporibus adauctus, terribilis viſis animi apparet. & hinc naſcitur, quòd ſigna in prælijs diuerſos inducunt effectus: nam aliquibus cornua ardorẽ pugnandi præbuerunt, Virgilius,

Aëre ciere viros, Martemq; accendere cantu,

Alijs verò tantum timoris incutiunt, vt ſtatim ventrẽ purgare exoptent. Iuuenal.

-Soluunt tibi cornua ventrem.

Humorum ergo varietas diuerſis modis ſtrictum enſem cõtuetur: enſem inquam eodem brachio, & loco, & tempore agitatum: & quoniam de ira ſermonem fecimus, non erit ab re ponere, hãc & à materia & à forma definitionẽ recipere: nam cùm in libro de Anima: iram incẽſionem ſanguinis circa cor finit Ariſtoteles, à materia hoc ſumpſit: ſed cùm iram vindictæ appetitum eſſe narramus, formam

ex qua ira eſt, innuimus. Hæc igitur quã diximus humorum varietas, non modo homines, ſed bruta quoque infeſtant: nam galli (non tamen omnes, vt ait Albertus, ſed tantum candidi) leonibus ſunt terrori: alijs verò animantibus nequaquam: alia enim gallorũ facies viſo animi leonis apparet, quàm noſtro & cæterorum: Lucretius quinto,

Quin etiã gallum noctem explaudẽtibus alis
Auroram clara conſuetum voce vocare,
Hunc nequeunt rapidi contra conſtare leones
Inq; tueri, ita continuò meminere fugaî;
Nimirũ quia ſunt gallorũ in corpore quædam
Semina, quæ cũ ſunt oculis immenſa leonum,
Pupillas interfodiunt, acremq; colorem
Præſtant, vt nequeant contra durare feroces,
Cũ tamẽ hæc noſtras acies nil lædere poſſunt,
Aut quia non penetrant, aut quid penetrantibus illis
Exitus ex oculis liber datur, in remeando
Lædere ne poßint ex vlla lumina parte.

Varietas ergo habitudinum efficit, vt hęc illis terribilia, nobis verò ſine aliqua trepidatione ſe offerant. Hinc eſt quòd Galenus primo prognoſticorum de inſanis & atra bile percitis, & de his qui mortis vicinitate alienatæ mentis ſunt, ait, res

quas

quas extra se videre arbitramur, intra ipsorum sunt oculos: non igitur mirum est, si humorum corruptio alios atq; alios effectus pro sui conditione producat, impossibile nanque est harum imaginum & visorum animi modum inuenire, quandoquidem melancholiarũ numerum indefinitum esse asserit Auicenna.

De metallis, & morbis qui diuersi diuersis planetis subiacent, & de horis planetariis, & saltatione, & cœlis animatis.

CAP. XIIII.


ORSITAN nonnullos admiratio inuaderet ex antè dictis, cùm humores corporis nostri elementis similes dominio diuersarum planetarum subiectos esse narrauimus, nisi & alia quoque eadem potestate variari conuinceremus. Et vt à metallo sumamus exordiũ, quod sic dictum est testimonio Plinij, quoniam vbi reperitur, necesse est inquirere, nam & aliud quoque proximum est; Μεταλλάω enim Græcè inquiro est, nunquam igitur solum inuenitur: & metallum, vt de principalioribus loquamur, numerum tantum septenarium implet, non enim nisi numero septem ad imitationẽ planetarum

ſunt metalla: hæc autem planetis aſsignan tur, non magis propter naturæ ſimilitudinem, quàm propter colorem & actionem. Aurum enim habitudinis temperatæ eſt, & tamen à Sole dependet, vnde colore & pretio non habitudine Solem ſequitur: eſt enim Sol planetarum princeps & rector vt mox apparebit. Argentum Lunæ tribuitur colore, & in medicamentis poſt aurum, ſicut Luna poſt Solem, minus eſt luminare. Ioui autem ſtagnum aſsignamus, & propter colorum & naturæ ſimilitudinem. Color enim ſtagni ſtellæ Iouialis colorem imitatur: & id facilè flectitur, impreſsionesq; recipit, vt eſt Iouis natura: quæ mites facilesq; homines reddit. Aes Veneri & colore & natura perſimile: nam ſine difficultate flectitur, & ipſa Venus flexibiles in genitura natos efficit, & color æris pla netæ colorem reddit, cui etiam tinnitus adeſt: vnde Perſius,

Ne qua ſub ærato mendoſum tinniat auro,

vt Venereos concentus, carminaq; amatoria non ſine ſuauitate imitetur. Saturno plumbum frigiditate concordat, & ſui grauitate eiuſdem planetæ tarditatē imitatur. Ferrum verò ſiue chalybs, vtrunq;

ferrum

ferrum est, siccitate sui siccum Martem sequitur: esse autem siccum ferrum vel poëtæ figmento ostendunt, cùm aiunt:

Vulnus Achilleo quod quondã fecerat hosti,
Vulneris auxilium Pelias hasta tulit.

Nam nunquàm Telephi vulnus siccari potuit, nisi cùm ab Achille edoctus limatum ferrum insperśit. Præterea ferrum in rebus bellicis alijs metallis præualet, vt est natura Martis. Sed viuum argentum quia mobile est, vt Mercurius planeta, nulli adhærere noscitur: nam si alicui inhæsisset, illius sectæ foret, & in coitu cùm aliis aliquid ex se indicaret, sed non ita est: nam in eorum naturam, quibus adhæret, vertitur, ita vt verti & adhærere sint inter se longè diuersa: est enim cum bonis bonus, & cum malis malus. Horatius de Mercurio,

Superis deorum gratus & imis. & Virg.
Quos ignis cæli Cyllenius erret in orbes,

Cùm dixit aliorũ inflammatorem, Mercurium esse monstrauit, errorem eius in orbes cùm meminit, non differt à mathematicis, qui propter motuum varietatem difficillimum cognitu putauerunt. Sed cùm Sol, cui aurum dedimus, & vnde initium suprà sumpsimus, medium inter

inter planetas locum obtineat, explosa Platonis Aristotelisq; sententia, qui statim supra Lunam locauerunt, rector & gubernator omnium est. Nam Luna nihil profectò luminis, nisi à Sole mẽstruis motibus receperit, habet: & Venus, & Mercurius, nunquam ab eo duobus signis abesse possunt, quasi imperio quodam catenati fidissimi Solis comites esse noscuntur: ita vt præcedant quandoq;, & sequantur aliquando. Tres autem superiores, Saturnus, Iupiter, Mars, nutum Solis verentur: non enim ex opposito esse possunt: nam hoc certissimum est, Saturnus, Iupiter, Mars oppositi Soli sunt retrogradi, quod & Lucanus non tacuit, cùm de Sole ait:

-radijsq; potentibus astra
Ire vetat, cursusq; suos statione moratur.

Omnes enim planetæ retrocedũt aliquãdo, excepto Sole: & ideo apud Ouidium,

Nitor in aduersum nec me, qui cætera, vincit
Impetus, & rapido contrarius euehor orbi.

Planetæ igitur cæteri progrediuntur ac regrediuntur, & aliquando subsistunt, & hinc inuenta est saltatio & chorea. Virg.

Pars pedibus plaudunt choreas & carmina dicunt.

Nam

Nam cùm antiquitas ſpiritus illos,ſiue angelos, vt theologi dicunt, qui orbes planetarum rotant, coleret vt deos, excogitauit quendam corporis noſtri motum in honorē Deorum per imitationem. Nam ſaltantes in chorea progrediuntur duobus paſsibus, deinde regrediuntur per vnum, & poſtea ſubſiſtunt, cum quodam geſtu corporis, quod ad illorum imitationem factitarunt: & hinc eſt quòd ſaltatio & antiquiſsima eſt, & grauiſsimos ſanctiſsimosque viros in diuinitatis honorem oblectauit. Dauidem enim regem & prophetam ante arcam fœderis ſaltaſſe ſacra refert hiſtoria: fuit etiam de more choream ducere, cùm plures manibus apprehenſis ſaltitant, vndè Terent.

Tu reſtim ductitans ſaltabis: Sed apud Romanos moris fuit, non modo pedibus, ſed brachiorum geſticulatione ſaltare: Ouidius in libro de arte amandi,

Si vox eſt canta, ſi mollia brachia ſalta.

Et in eodem,

Brachia ſaltantis, vocem mirare canentis.

Eſſe autem cœlos animatos Ariſtoteles ratione demonſtrat, ſed fides noſtra, vbi fundamēta veritatis apparēt, imo CHRISTVS de ſe ipſo ait, Ego ſum via, veritas,

& vita,

& vita,alio dicendi modo vtitur. Alexander enim de Hales non esse cælorum animas, sed Angelos voluendis orbibus attributos, sine aliqua defatigatione rotantes,ita vt motores spiritus, non animas orbium esse dictitet:vnde Saturnum Cassiel, Iouem Sachiel, Martem Samuel,Solem Michaël, Venerem Anahel, Mercurium Raphaël, Lunam Michaël Conciliatoris & magorum testimonio circumagunt. Vnum tamen non est obliuione abolendum, à Christianitate repræsentationem animarum à Michaële fieri, qui Lunæ esse dicitur,cùm id officii gentilitas Mercurio, cuius est Raphaël, tribuerit. Esse autem Mercurii hoc officium in capite de Institutis antiquis Valerius refert, cùm quædam mulier epoto veneno vt moreretur, hoc modo: Tum defusis Mercurio libamentis, & inuocato nomine eius,vt se placido itinere in meliorem sedis infernæ deducat partem. Sed Aristoteles de Cœlo & Mundo, vt summatim loquamur, his rationibus videtur cœlos esse animatos ostendere: Ait enim motum esse triplicem:naturalem scilicet, violentum,voluntarium.Cœlos non moueri naturaliter facilè probat:quia neque

ascen

ascendunt, neque descendunt: & motus naturalis est, vt leuia sursum, grauia verò deorsum moueantur: cœlos autem in eodem loco morari est manifestum. Consequẽs igitur est, vt motu careant naturali. Carent etiam violento: quoniam violenta non sortiuntur perpetuitatem. Perpetuum autem esse cælorum motum, nec ratio, nec sensus, vt ait Albumasar, repugnant: si nec violenter, nec naturaliter, reliquum est, vt voluntario motu agitentur: voluntas non nisi in animatis est. Constat igitur cœlos esse animatos: nec me mouet illud, quod à plerisque obiicitur, cùm dicunt, animatorum esse motus varios, ita vt aliquando ad dextram vel sinistram, sæpe antè aut retro cedunt. Fatemur quidẽ his diuersis motibus vti eos qui pœnitentia ducti consilia mutant, non habita plenitudine sapientiæ, sed qui sapientissimi sunt, vt sunt cœlestia, & hi qui orbes rotãt, motum in principio optimum sine contrarietate elegerunt: motum inquam circularem, qui aliorum est excellentissimus. Sed cœlos etiã animatos Psalmographus Dauid innuit, Cœli enarrant gloriam tuam domine: & in eodem, Et in omnem terram exiuit

exiuit ſonus eorum : quod ad allegoriam ſenſumque myſticum, de Apoſtolis dictum aſſerunt. Hæc volui dixiſſe, ne huius diſciplinæ promiſcuæ, lectores tanquam peregrina quæ dicturi ſumus excipiant: Morbos enim quoſdam & horas planetarias referemus. Sed de morbis, vt à Saturno incipiamus, ita teneas: hic planeta frigidus ſiccusque eſt: vt iam ſæpe diximus, ex corpore noſtro habet oſſa, lienem, melaucholiam: & è morbis poſsidet immanitatem, rabiem, timorem, omnia luxata, regium morbum ex liene ortum, elephantioſin, podagram, & omnem ægritudinem diuturnam, vt ſunt tabes, id eſt, phthiſis, & deſtillatio, id eſt, catharrus, hydrops, cancer, & alia genera frigore contingentia. Iupiter habet iociner, buccam, ſtomachum: huic ſubiacent angina, dolor lateris, peripneumonia, attonitio, dolor capitis, lethargus, cardiaca ægritudo, omnesq; morbi nimietate ſanguinis prouenientes. Mars febres tertianas, hemitriteas, continuas, peſtilentiam, abſceſſus bilioſos, id eſt apoſtemata cholerica, abortus, & incommoda ex bile, vitiliginem, dimidii capitis dolores, ſacrumque ignem moderatur & regit, & ſibi

ſibi ipſi vendicat. Sol calidus & ſiccus, vtroque tamen iuuat & viuificat, quod in qualitatibus Martis non reperitur: malus enim planeta eſt. Sol inquam cor, medullas, ventriculos cerebri: & inter morbos colum, quod vlcus malignum ideo dicitur, quia ora, vnde nutrimentum ſumimus, infeſtat, ſibi vendicauit. Venus autem frigoris humoriſque temperati domina adipem, ſuppurationes humidas ac frigidas, & humiditatis copiam, fiſtulas, vomicaſque, & genitalium incommoda moderatur. Sed Mercurius linguam & eorum ægritudines, qui ſecum immurmurant & loquuntur, necnon cogitabundos: & de morbis tuſsim, grauedinem, quam coryzam vocant, raucedinem, quę branchos nuncupatur, ſputuſque ſuperabundantiam, & comitialem morbum ſibi aſſumpſit. Luna paralyſin, vultus obliquitatem, agitationem membrorum, & ſpaſticos ſub dominio tenet: vnde Lunæ ſanniones tribuimus: hos namque vultus obliquitas nominat. hactenus de morbis qui planetarum vim propriam ſentiunt. Nunc ad horas erronibus (ſic enim Latinitas planetas vocat) attributas ſermo dirigitur. Ab huiuſmodi ſiquidem horis

dies nominantur, & hoc ab Ægyptijs ad Græcos dudum videtur fluxisse, propter dictum Apostoli, nonnihil hac de re in epistolis innuentis: nam dies septimanæ nomen à planetis acceperunt, non seruato ordine, & dies Solis, quem dominicum ob resurrectionem Domini nostri IESV CHRISTI vocamus, Lunæ, Martis, Mercurij, Iouis, Veneris, Saturni. Prima enim hora dominici diei Sol dominatur, deinde Venus, & sic per ordinem, quousque Luna primam horam sequentis diei occupans, nomen imposuit, & sic in cæteris ordo seruatur. Sed dies secũdum Mathesim ab ortu Solis initium capit, finis est in occasu. Vnde crepusculum aut diluculum mathematicæ partes sunt noctis: horas autem cum nominamus, semper intelligimus planetarias, & non æquinoctiales: Planetariæ nanque sunt impares, cum horarum æquinoctialium semper sit paritas, adeò vt in æquinoctijs duntaxat, & harum, & illarum sit æqua mensura: æquinoctiales enim & planetariæ vicissim agunt. Sed dies quantuncunque longus, non nisi duodecim planetarias habet horas: & breuissimus quoque totidem horarum est, quod non

modo

modo mathematici, sed CHRISTVS in Euangelio meminit, cum ait: nónne duodecim horæ sunt diei? Capiamus in inclinamento nostro longissimum diem qui erit Sole in cancro, hic sedecim ferè horas æquinoctiales continebit, sed planetarias tantùm duodecim: & ita hora planetæ integram æquinoctialem & trientem alterius occupabit. Et Sole in capricorno, cùm dies breuissimus est, octo enim ferè æquinoctialium, sed planetarum horarum duodecim est, ita vt duo trientes horę æquinoctialis impleant horam planetariam: sunt igitur breues aut longæ pro mensura dierum & noctium: nam eadem ratio noctium est, quæ & dierum: ita vt nox longa duodecim, & breuis totidem horarum planetariarum sint. Sic igitur intelligas planetarum dominantium horas, & cùm de ortu & occasu signorum fit mentio: duabus enim horis quodlibet signum oritur & occidit, semper de planetarijs intelligendum, nec te turbet quòd signa omnia æqualia, & quolibet die & qualibet etiam nocte, siue breuibus siue longis sex signa oriantur, totidemque occidat, quoniam signorum in ortu & occasu diuersitas hoc efficit,

 alia

alia enim rectè, & alia obliquè oriuntur & occidunt, ita vt in vna hora planetaria, quindecim partes æquinoctialis & zodiaci & oriuntur & occidunt: harum autem horarum, quas planetis aſsignamus, tantus fuit vſus, vt vigiliæ & excubiæ ab his menſurã temporis cœperint: Lucan.

Tertia iam vigiles mutauerat hora ſecundos.

Prima enim vigilia trium, & ſecunda & tertia & quarta totidem etiam talium horarum fuerant. Propertius,

Et iam quarta canit venturã buccina lucem.

ita vt dicat tertia hora completa mutauerat, hoc eſt mutando acceperat vel dederat ſecundos vigiles. Mutare autem hoc inter cætera ſignificat: Perſius,

Mercibus hic Italis mutat ſub ſole recenti
Rugoſum piper, & pallentis grana cimini:

Virgilius,

Chaoniam dulci glandem mutauit ariſta.

Si autem in Lucano dicitur commouerat, clarum eſt. Horæ igitur tales apud vetuſtiſsimos in vſu frequentiſsimo fuere, in qua re ſi omnia ceſſarent, teſtimonium redemptoris noſtri ſatis ſuperque eſſet, qui duodecim horas eſſe diei aſſeruit. Sed hæc quæ forſitan ab imperitis minima putãtur, maximæ ſunt efficaciæ,

& in

& in arte magica & in medicina: nemo enim consummatam medicinam tenebit, nisi teneat astrologiam, quod Conciliator ratione demonstrat, quam qui intelligere cupit, ad eius documenta recurrat in libro differentiarum: mihi satis erit impræsentiarum Hippocratis & Auicennæ autoritatem attestari. Ille nanque in prognosticis, est quoddam cœleste, in quo medicum cõsiderare oportet, cuius prudentia admirabilis, nimiumq; stupenda. Quod dictum Galenus commentator ad aërem referri ait, & recte: aëris enim mutationem, alteratione͂, corruptionem non nisi astrologus præuidet. Nam cu͂m cætera elementa proprio ac peculiari planeta regantur, aër propter sui mobilitatem à singulis commouetur. cùm Sol igne͂: in eo enim lucis & caloris fons est, Luna verò aquam concitat, hinc est quòd pro Lunæ situ, ætate, coniunctione, aut plenilunio mare fluit ac refluit. Sed aëre͂ Saturnus, Iupiter, Mars, Venus, & Mercurius mouent, & propter motus habilitatem. Ouidius primo Metamorph. ait:

-Mare, terram, sydera mouit.

Aërem quoque propter facilitatem, ac si omnes scirent, sub appellatione syderum

inclusit. De alteratione autem quid loquar? Cùm Saturnus frigidum, Mars æstuosum, Iupiter caloris sicut Venus frigoris temperamentum efficiunt: & Mercurius à sua natura non declinans ventos enim facit, vnde poëta,

Vnde nate, & voca Zephyros, & labere pēnis.

Aërem facilem ad omnem mixtionem omnemq́ue varietatem præparat. Terra autē à cœlo stellato, hoc est octaua sphæra, mouetur, brutum & immobile elemētum, tota cœlesti machina indiget vt moueatur. Sed Auicenna (nam & eius autoritatem attestari promisimus) in toto magno volumine nihil ferè nisi medicinam attingens, philosophica astrologicaq́ue ad suos artifices relegans, in libro Canticorum vbi & poëtam & medicum ostentauit, astrologica interseruit, medicoq́ue necessaria asseruit: ait enim, Et morbus quidem minimè contingit, nisi ex dispositione qua debilitatur opus naturæ: qui si cum auxilio producatur, curabitur quidem patiens, & vita prolongabitur: sed si cum detrimento, morietur quidem, & vita perdetur, & separabitur. Hactenus Auicenna. Aliorum verborum declarationem, quæ dicit Auerrois, hoc in loco subij

ſubijciam, Morbus non in patiente, niſi cùm Luna fuerit in malo loco, & à principio natiuitatis eius: & eſt ac ſi diceret, quòd talis locus eſt ille quem attingit in principio ægritudinis ſuæ: vnde ſi ipſa transferatur, & eleuetur à tali malo loco ad loca vtilia, & iuuatiua, & cũ hoc locus fuerit in quo inceperit generatio morbi ipſius paruæ malitiæ, curabitur quidem patiens & viuet, verùm ſi transferat ſe ad loca mala ipſa exiſtente in principio in loco malo, augebitur & corroborabitur illius malitia: hoc autem dogma minime eſt de arte medicinæ, ſed potius ex arte aſtronomiæ, quæ quidem ars debilis eſt, & falſum vt plurimum quod in ea exiſtit. Hactenus Auerrois verbis & ſententijs hoc in loco ineptis, quod in translatorem reijcio, ſicuti quæ ex Auicenna adduximus, illa enim etiam ineptijs ita ſcatent, vt verborum ſenſa turbentur. Sed profectò doleo vehemẽter Auerroidem in philoſophia excellentiſsimum non ſeruaſſe in adipiſcenda doctrina ordinem antiquorũ. nam nemo ad philoſophiam tendebat, niſi quadriuio inſtructus: prius enim arithmeticam, geometriam, muſicam, aſtrologiam didicerant quàm philoſop

losophiam attingerent: quod si Auerrois effecisset, non tam pueriliter in astrologia sentiret. in declarandis enim verbis Auicennæ, nescit profectò quid garriat: nam cùm ille genituram ægroti inspiciendam medico necessariam esse dicit, vt ex anaphora illius anni intelligamus futuram mortem aut salutem, & si morbi principium cum genitura concordet, vel in malò, vel in bono, quod ex Lunæ loco præcipuè sumitur, mors aut vita sequetur: sed quomodo hoc fiat, mox dicemus. Ipse verò Auerrois, quo se vertat ignorat, vt is qui de eo loquitur, quod nunquam intellexit, sicuti etiam ipse in libro de naturali auditu fatetur. Improbare autem quæ ignoramus, quantæ leuitatis sit, nemo ignorat: nam si dixero in rhetorica plurima esse mendacia, necesse est vel quòd alijs dicentibus credam, & tunc non mihi sed autoribus debetur gratia, vel quòd ego acumine ingenij hoc deprenderim. Si Auerrois igitur ignarus alijs credit, cur ab Hippocrate & Auicenna discedit? vterque enim fundamento astrologiæ vtitur. si autem ex se dicit, cur fatetur se hanc artem ignorare? vnde necesse est eum maximæ leuitatis arguere.

In

In messem enim alienam falcem immittens nescit quid agat: qui enim aliquid vituperat, illud teneat necesse est: vituperatio autem & approbatio præsupponunt cognitionem. In illo igitur Auicenæ dicto comprenditur medicũ debere astrologiæ peritiam tenere, ita vt ægroti genituram calleat, & si in illius mensura exortiua, quam anaphoram vocant, moriturum viderit, de salute desperabit: si autem victurus erit, omnia in melius succedent. Sed Auerrois, vt dictum est, ea improbat, quæ ignorat, vt palàm in libris Aristotelicis fatetur: & dicta Auicennæ volens interpretari quo se agat ignorat: ille enim ex genituris hominum vitam pendere arbitratur, vt dator vitæ & annorum optimè disponuntur. nam planetæ vt in sequentibus ostendetur, numerum annorum nato tribuunt. Auer. verò Lunam tantùm vt matheseos imperitus nominauit, ab alijs edoctus: nam Luna præ cęteris planetis in genituris manifestius & vehementius agit, quàm pro signorum & partium qualitate, morbos facit: nam si in ariete Marti aut Soli iuncta fuerit, quoniam hoc signum Martis est domicilium, & exaltatio Solis dolores ca-

pitis, ardentissimas febres, maximásque anxietates ita, vt æger vix loqui posit, efficiet, pectus ex pulmone aggrauans & si cum malis habuerit aspectum, intra septimum diem occidet, sed hæc (nam & alia quoque expostulantur) in partibus vitiosis, quas Punicè azemana nūcupant, & signo geminorum, quod duodecimum à cancro in leonem numerando est, hæc inquam Luna deterius operatur. Genituræ igitur conditio, & non manus medica vitam aut longiorem aut breuiorem reddet, non igitur immeritò Manilius ait

Nascentes morimur, finisq; ab origine pendet:

& idem,

Ecce leuis perimit morbus, grauiorq; remittit.

Sed certè optarem Auerrois explicasset quid falsi in astrologia inuenerit, nisi ideo artem improbet, propter nonnullos imperitos, quod certè extremæ dementiæ est. non enim medicinam damnabo propter medicorum inscitiam, nec leges improbabo, quoniam leguleij quidam in causis succubuere: sed non modò in his quæ ignorasse se fatetur, lapsus est Auerrois, sed in illis quæ profitetur, pueriliter aiquando sensit. is enim dicit talpam non videre, quāuis habeat oculos, quia visione

non

non indiget, cùm habitet ſub terra, nam viſio eius eſſet ſuperuacua: at Magnus Albertus opinatur talpam cùm ſupra terram eſt, non videre particularia quæ occurrunt, attamen videre lumen Solis reflexum à membranula oculos talpæ operiente, ex quo intelliget ſe ſupra terram eſſe. Dictum ſuum Auerrois, ſi noluiſſet pueriliter loqui, moderari debuiſſet: dicere enim opus erat oculos talpæ opertos eſſe ne à terra, ſub qua domicilium habet, offenderetur, & vt vehementiam luminis inſueti tolerare poſſet: quoniam illa membranula ſine pilis vt magis eſſet perſpicua non reſpuens receptionem luminis: quare Virgiliana diligentia inter vtrunque ſe tenens ait.

Aut oculis capti fodère cubilia talpæ.

Medici ergo nomine & non re ipſa dicentur, qui aſtrologiam non tenent: ſunt enim quædam coniunctiones & aſpectus planetarum humanam naturam debilitãtes, aut roborantes: vnde medicus fallitur, niſi pro habitudine influxúque cœleſti medicamenti habitudinibus cõmoda tribuat. Nam Luna coniuncta Ioui naturam corroboret, hinc eſt quòd medicamenta hac hora tradita à ſolita efficacia declinant,

nant, quod nõ fieret in horũ planetarum separatione, quoniam humana natura viribus nõ adaucta, sed in suo statu permanens catapotijs, aut potionibus, sorbitionibus'ue, aut electuarijs, antidotis'ue coniecturam medici minime falletːsic etiam è contrario, Luna lumine aucta Marti, vel diminuta Saturno cõiuncta humanã habitudinem debilitans medicũ imperitum in errorem trahet, vt in medicamẽtorum quantitate peccet, & cùm credet ad ter quater'ue excernendũ vnciam scammoniæ rectè esse tributam naturæ, his cõstellationibus cõquassatæ, nec medicamentis resistenti præcipitabit ægrotum adeò, vt vnà cum excremẽtis animam quoq; exhalare cogatur: preterea medicamẽta cœlestium obseruatione cõfecta, maioris efficaciæ sunt: itaq; hæc aduertenda in quibusdã etiam Auicẽna mandauit, nã Sexta Quarti ait, Sumatur carbonis cancrorum fluuiatilium captorũ dum Sol est in signo leonis assorũ in furno, quod licet exiguũ sit, attamẽ hoc exiguo in magno volumine, vbi se purum medicum profitetur, nõ nihil insinuauit ad astra esse confugiendum. Sed vt tãdem huic rei finẽ imponã, fœtus in vtero etiã vim planetarũ sentit,

cuius

cuius mensem primum Saturnus, secundum Iupiter, tertium Mars, quartum Sol, quintum Venus, sextũ Mercurius, septimum Luna sibi vendicãt, ideo si septimo mense, qui est Lunæ, nascitur, vitalis est: Luna enim bonus est planeta, Octauo rursus ad Saturni nequitiam reuolutus fœtus morti est obnoxius, Sed nono sub Iouis benignitate iterum cõstitutus viuet deinde: iam ex omni parte munitus quocunq; tempore in lucẽ venerit, erit incolumis. Est igitur plurimis de causis astrologia medico necessaria: quam si quis ignorauerit, non inter medicos sed potius inter pharmacopolas circunforaneos cõnumerabitur. Summa igitur diligentia qui medicus esse cupit, eam de se opinionem in scientia cécitet, vt non humanum, sed diuinum potius esse arbitrentur: & hoc pacto prudentia illa admirabilis nimiumq; stupenda, ab Hippocrate relata, ægrotos sola autoritate sanabit.

De fiducia in Medicum & quadam cautela. CAP. XV.

HIPPOCRATIS illa in prognosticis sententia, cuius iam meminimus cùm admirabilẽ nimiumq; stupendam in cœlest

lestibus medici prudẽtiam retulerit,profectò sublimem quandam medicantum autoritatem desiderandam esse insinuare videtur, ita vt paulatim iam & huius diui medici dictis,quæ simillima oraculis esse noscuntur, ad eam quam de medicis fiduciam concepimus, tandem deueniamus:hæc enim vt diuina manus plurimas sanat. Sed multa & excellentia quidem eruditionem pariũt, eruditio autem cum claritate experientiæ autoritatem gignit, autoritas verò mater est confidentiæ,vel vt rectius loquar fiduciæ : hoc enim nomen ad bonum dirigitur. Iuuenalis,

Nã cùm magna malæ superest audacia causæ,
Creditur à multis fiducia.

Et Valerius Maximus, titulum habet de fiducia sui:hæc autem certissimam spem præ se fert, cùm omnis spes versetur in dubio:& hæc quidem hoc modo describitur, Fiducia est animæ rationalis affectus quidam ex concepta opinione proueniens, desiderijs subsidia præstans:opinionem omnem sequitur fides, qua bruta carent, vnde rectè rationalium duntaxat esse noscimus, desideria autem adiuuare narrauimus,quoniam teste Auicenna animæ humanæ inest vis rerum im-

mutandarum: affectus enim humanus vehementissimus sine hesitatione quod desiderat efficit, vt magi testantur, & veritas Christiana astipulatur, vbi dicit, Si habueritis tantum fidei quantum est vnum granum sinapis, & dixeritis huic monti transi, transibit: quod poëta non ignorasse videtur cùm cecinit:

An sua cuique deus fit dira cupido?

Sed quid hic vehemens affectus, quem nomine fiduciæ ornauimus, operetur in nobis, audiatur Galenus, qui in principio prognosticorum ait, Ille medicus de quo confidũt infirmi, & eius manibus se committunt, plus sanat ægritudines: hoc enim accidit, quoniam sanitatis formam anima medici continet, & hæc vehemẽti ægrotorum imaginatione concepta virtutem malè valentem roborans, morborum causam debilitat, illud igitur incommodum, quod homines morbidos reddit, auxilio naturæ certo adueniente conflaccescit, & hoc simile est duobus inter se digladiantibus: nam morbum natura vt hostẽ vincere, & morbus naturam opprimere tentantes seseque ad pugnam parantes, cùm periti medici vt certum subsidium natura conspexit, fortior ad pugnam redit, & vim

& vim ſuſcitat ira. Morbus autem hoſtis ſui vires animoſque adauctos cernens, de fuga cogitans conſiſtere ac repugnare non valet. Non iniuria ergo Auicenna ſexto Naturalium, ait huiuſmodi fiduciæ actionem omnibus medicorum inſtrumentis & medicinis eſſe potiorem: ex huius igitur præſtantiſsimi viri ſententia, fiducia concepta de medico maioris eſt efficaciæ, quàm illa omnia quæ ars permiſcuit, & medicorum ſolertia excogitauit: maximi igitur facienda eſt autoritas quæ fiduciam parit, cùm autoritatem doctrinarum varietas & acumen parent. Qui ergo doctrinis diſciplinisque & experientia pollent, eam de ſe opinionem concitant, vt cateruatim ad huiuſmodi viros pro ſanitate feſtinent: nam eorum verba vt oracula quædam ſumma cum attentione excipient: fama enim hoc boni in ſe continet, vt mentes hominum animoſque inflammet, quibus, vt diximus, mutandarum rerum quædam vis ineſt: nam non modò in medicina, ſed in alijs quoque autoritas illa fiducię comes, quoniam Cicero domum iuriſconſulti totius oraculum ciuitatis eſſe ait: & Iulius Cæſar maximos interdum exercitus ſola autorit

toritate fugauit, ex qua ſuorum animi adaucti hoſtium debilitatas vires facilè ſuperarunt. nam ipſe ad Amantium de Iuba ſcribens ait: Veni, vidi, vici. Sanati igitur ex fiducia non pericula medicamenti, non hieræ picræ amaritudinem ſentientes, vt quaſi diuino auxilio leuati & citò & tutò & iucũdè curati ſunt, quo nihil poteſt eſſe in medicina excellẽtius. huc igitur diuertat turba ægrotantium & malè firmorum, vt Ouidij verbo vtar,

Illa quidem valeat, ſed ſi malè firma curabit,
Et vitium cœli ſenſerit ægra ſui.

Sed maximè aduertendum medico eſt, cuius autoritate ſanari debent ægroti, vt quibuſcum agat optimè conſideret: non enim parua eſt hæc cautela. Nam doctos viros, quos rei veritas nõ latet, communi ac lucido ſermone alloquatur, ſed apud imperitum vulgus & aniculas, & huiuſcemodi homines quæ Latinè, aut lingua vernacula dici commodè poſſunt, obſcuriori ſermone aut Græcè aut Punicè referat. vulgus enim id aliquãdo optimum & ſalutiferum iudicat, quod non intelligit. Nam ſi vinum granatorum, aut radicem te daturum inquies, vulgus imperitum, cùm hæc nouerit, & communia ſint,

ſi moleſtiſsimo morbo grauabitur, nullam in his ſpem reponens floccifacit: Sed ſi granatorum Græcè pro vino rhotium dixeris, & pro radice ſilueſtris granati mugath Punicè nominaueris, quaſi ex alio orbe petita hæc remedia putans, vt diuinitus miſſa medicaměta ſuſcipiet: ita, vt & medico & medicinæ fiducialiter auxilium expetens conualeſcat, fiduciam autem plurimos ſanaſſe experientia docuit, & grauiſsimi autores teſtati ſunt, vt diximus, vnde vtiliſsimum eſt pro vulgo imperito Punica aut Græca aut alia, omiſſa quæ nota eſt, loqui: nam & mihi ſæpe contigit, vt in Bohemia, Pannonia, Germania, Vngaria & Hiſpania, cùm æger à me ſuſcitaretur quid ei antidoti paraſſem Punicè aut alia lingua nominans, quæ potuiſſem eius ſermone narrare, vt manifeſtum viderim iuuamentum: nam æger conualuit. Sed & hæc etiam apud veteres profuiſſe teſtatur Plinius, Nam vigeſimonono Naturalis hiſtoriæ cùm de medicina ait, Imò verò autoritas aliter quàm Græcè eam tractantibus etiam apud imperitos expertesque linguæ non eſt, ac minus credunt, quæ ad ſanitatem ſuam pertinent, ſi intelligunt.
Sed

Sed hæc quæ ex Plinio allegauimus, maximè eam, quam Galeni in medendo retulimus felicitatem confirmant, nam eodem tempore hi duo fuere, Plinius enim ad Traiani vsq; tempora deuenit, in imperio cuius Galenus Romam profectus ætate Antoninorum floruit. Vitandus igitur omni ratione medicus infelix, cuius manum & subsidia negligunt licet doctus haberetur, & in medicando infortunatus putaretur, vt contigit Drusiano, qui ob excellentem doctrinam Plusquàm commentatoris nomen obtinuit, & tamen in eius manibus quotquot fuerunt, vitam amiserunt, quoniam nihil spei, nihil fiduciæ in eius medicamento reiecerunt: quam vt sibi reseruent regulas ordinesq; medicandi doctissimi viri aliquando neglexere. Nam Rasis ille medicorũ fons, se peruersè aliquando operatum ait, vt vulgi infamiam euitaret, nam vbi longa inedia opus erat, escam concessit ne videretur, si mors accideret, se ægrotos fame macerasse, & deinde occidisse, vt decimonono libri continentis apparet. Sed hæc de medico, quam narrauimus concepta fiducia, in magnifico Laurentio, & Mediceorum familia maximè viget, po-

 puli,

puli enim & ciuitates hanc de eo conceperunt opinionem, vt in ſummis periculis, diſcordijs maximis, animorum peruerſitate, tyrannorum crudelitate, ciuilibus ſimultatibus, odijs & priuatis & publicis, inuidis liuoribus, venenatis mentibus vnicum ſubſidium cælitusq́; demiſſum ſit magnifici Laurentij ingenium, quod ſola autoritate omnia iam quaſi conclamata reſanet: nam anno præſente factum eſt vt ciues ex Sena Etruriæ (nam Senonum de nomine Senæ alibi ſunt) de occupato oppidio à duce Florẽtinorum verba facientes, ſola Laurentij promiſſione de reſtituendo contenti in patriam rediere: quod licet minimum ſit, tamen non eſt eius quod diximus minima confirmatio, cùm non modò amici, ſed qui non bene cohærent (Sena enim & Florentia, ex vicinitate vt fit, animo aliquantiſper diſsident) tanti hominem fecerint, vt vel nutu eius contenti ſe quod optabant conſecuturos arbitrarentur.

De humido radicali, & tribus Parcis, & de ſtellæ Veneris charactere & nomine. CAP. XVI.

SERMO de fiducia, quam ex medici autoritate concepimus ex qua ſanitas eſt,

est, iam nos ad ea narranda deduxit, quæ vitæ nostræ fundamenta esse noscuntur, quibus diminutis, aut labant, aut ruunt, aut ruinam minantur vitalia: & hoc quidem est humidũ naturale, quod succi nomine rectius diceremus, vt est in Teren.

-Corpus solidum & succi plenum.

& in Bucolico Virgilij.

Et succus pecori, & lac subducitur agnis.

Succus autem quasi sugus, vt is quem ex alimentis & aliis membra sugunt: quod iuniores medici, vt vitæ substentaculum, ficto vocabulo, ab arboribus sumpta trãslatione, quæ radicibus aluntur & viuunt, radicale dixere, siue natiuum, & hoc rectissimè: & hoc quidem triplex esse dictitant, primum tenue aërium, super quo sine adminiculis, calor ille cœlestis & natiuus, qui in nobis est, suas sedes locauit, adeo vt nullo pacto ab eo seiungi separariue possit. Nam certissimum in omni philosophia argumentum est, calidum absque humido nusquam reperiri posse, hoc enim & in lignis aridis quotidie experimur: tam diu namque ignem durare cernimus, quoad humor minutias ligni conglutinans pabulũ igni ministrat, quo consumpto, ligna in cinerem abeunt: &

hinc est quòd Thales Milesius, quem antiquitas admirata est, omnia aqua cõstare putauit: & ob hanc causam Oceanum patrem rerum poëtica sententia taxat. Secundum verò humidum, densius ac humidius, primo sese tanquam nutrimentum & escam innato calori præstat, & natiuus calor per huius secundi humidi meatus occultos & quasi rimulas, sicut lumen in corpore perspicuo, huc atque illuc vagatur: sed hoc facta subtilioris partis diminutione densatur, atque crascessit, vt non amplius natiuo calori sit peruium, & propterea minime illustratur, adeo vt iam ad diluti vini similitudinem, non aëris, sed aquæ imaginem gestitet. Est & tertium humidum naturæ tenacis, quod glutinum peritiores vocant, continet enim tanquam vinculum quoddam corporis particulas quadam mixtura & nodo connexas, quo detracto, vt in exemplo ligni diximus, omnia in puluerem rediguntur: quod etiam innati caloris cibarium ac nutrimentum imminutum quidem est. Non enim sufficit cœlestem illum quem diximus calorem copioso pabulo sustẽtare: Imò cùm iam prope finem est, illum à se fugat, & calorem fugatum sequit

sequitur mors: & hoc est quod poëtarum cœlitus data sapientia,(vt cecinit Ouid.

Est Deus in nobis, sunt & commercia cæli,
Sedibus æthereis spiritus ille venit)

in Parcas fabulosè reiecit: Parcæ enim quæ fila humanæ vitæ tenere dicũtur, vt Clotho, Lachesis, & Atropos, ideo dictæ sunt, quoniam nimium parcæ sunt, ita vt nulla liberalitate in vita hominum producenda vtantur: de quibus Catullus,

Currite ducentes sub tegmina currite fusi.

Sunt igitur hæ tres Parcæ tria illa humida radicalia: nam Clotho baiulans colum est primum illud humidum,in quo color natiuus immixtus est, eumque gestat: Lachesis verò net, pensum consumens secundi humidi vicem obtinet: nam pabulum & nutrimentum filorum esse apparet. Atropos autem fila detruncans,tertio humido & glutinoso quidem particulas corporis continenti similis,quo consumpto collabuntur omnia: occat enim, & quæ densa erant & grandia cædit,& frãgens in minutias resoluit, vitamque fugat: abruptis enim filis tanquàm glutino partium necesse est corpora cinerescant: Hoc igitur triplex natiuum humidum radices vitæ continens esse perhibetur.

Sed est & quartum humidum intercurrens, quod non innatum, sed factum huc atque illuc per venas & arterias labens, cordis calore stimulatum etiam innato colori pabulum & sustentaculum porrigit: Spiritus enim corporis à Galeno loco caloris innati positi ac nominati eo fouentur: ex hoc igitur quarto humido, & ros & cambium, & gluten sunt, primò quidem membra irrorantur, secundò instaurantur deperdita, tertiò partes soluendæ glutinantur: ros igitur quia quod siccabatur irrorat, cambium quod loco alterius subrogatur, gluten quod latenti nexui, & glutino subuenit. ita vt hoc vltimo loco positum humidum illis tribus superioribus auxilia præstans, quasi acies subsidiaria laborantibus militibus subuenit: & ne vlterius hac in re progrediar (multa enim dicenda occurrunt quæ solertia medicorum magis ad ostentationē, quàm vtilitatem excogitauit) vnum tamen exemplum pro iunioribus ponam, quod licet non valde simile sit, attamen non erit inutile: erit autem hoc, si consideremus lucernam vbi oleum non adhuc imbibitum & stupam siue papyrum oleo infusam, & illud humidum, quo particulæ papyri

papyri aut ſtupæ inter ſe glutinatæ ſunt, oleum adhuc liberum, primo humido ſimile eſſe dicemus, & illud quo papyrus infuſa eſt ſecundi humidi imaginem gerit, & ille humor quo partes papyri inter ſe glutinantur, tertium humidum imitatur: ita, vt in oleo, vt humido lumen fundetur, & infuſo in papyrum, vt pabulo vtatur, & humor quo papyri partes continentur ne diſſoluantur glutini vicem implebit: lumē ergo calori natiuo & cætera cæteris ſimilia putantur. Sed quoniam ſæpe natiuum calorem nominauimus, aduertendum eſt in animantibus calorem huiuſmodi ex cœleſti elementarique eſſe concretum: & propter hoc moderamen in omni conſumptione præſtabit appoſito freno: tantum enim conſumit, quantum neceſsitas exigit: nam ab anima habet præfinitam poteſtatem cum maxima efficacia: videmus nanq; in aheno aliquando neruos feruenti calore vexatos, bullitione agitatos etiam pluribus horis, mollitos nunquàm: ſed cum ad humanum ahenum hoc eſt vētriculum deueniunt, paucis admodum horis non modò mollientur, ſed ita ſoluuntur, vt nulla neruorum facies appareat. de quo Oui-

dius primo Methamorphoseôn sub quadam dubitatione loquitur,

Natus homo est, siue hunc diuino semine fecit
Ille opifex rerum mundi melioris origo
Siue recens tellus, seductaq; nuper ab alto
Aethere, cognati retinebat semina cœli.

Non iniuria igitur philosophus Aristoteles ait, Sol & homo generant hominem, Solem pro vi cœlesti, & stellis omnibus ponens: ab ipso nanq;, vt à quodam principe & stellæ, & planetæ lumen mutuantur. Vnde cùm sydus commune sit vocabulum, plerunque Solem tantum significat. Ouidius de Arte amandi.

Candidus in nauta turpis color æquoris vnda
Debet & à radijs sideris esse niger,

id est Solis, cuius tam excellẽs natura est, vt pro diuersitate materiæ opposita operetur: & cùm cætera denigret, linũ dealbat, ceram liquefaciens, lutum cõstringit: at Venus quæ sola propter luminaria radios habet hoc efficere nequit, & hac de causa, vt eius radios mathesis indicet, hoc charactere ♀ demõstrat: ita vt à circulo linea in fine bisulca dependens radios præfiguret, & diligentissimus poëta pro Venere stella iubar posuit in 4. Aeneid.

It terris iubare exorto delecta iuuentus.

Cur

Cur dij dicti sunt elementa, & de Ideis, & igne cum amor sit, & imagine Priapi non sine ratione facta CAP. XVII.



N ratiocinatione primi succi mentio de calore interuenit, ita vt in animantibus calor natiuus ex cœlo & elementis esse noscatur, Elementa autem numero quatuor esse etiam aniculæ iam sæpe audiuerunt, sunt autem, aqua, cui cerebrum: aër, cui iociner: ignis, cui cor assimulantur: terra verò omnibus membris familiaris, nihil proprij sibi vendicauit: elementa autem eiusmodi sunt, vt in componendis corporibus primum, in dissoluendis verò vltimum locum obtineant, nam ipsi simplicia cùm sint resolutionem non capiunt, & ex hac ratione Grammaticus literas elementa vocauit: nam oratio in dictiones, dictio in syllabas, syllaba verò in literas resoluuntur, literæ autem non patiuntur diuisionem. Hac igitur similitudine literas elementorum nomine appellauimus: quòd autem elementa ex quibus omnia constant, inuicem sibi cedant, patianturque alterationem, ac mutationem, tanquam omnibus notum, relinquo: Vnum tamen ne caloris sumus

imme

immemores referemus, de igne enim in quo fons eſt caloris, ſermo non inutilis habendus eſt. Ignis ſiquidem non modo elementum, ſed amorem quoque ſignificat: Virgilius.

-& cœco carpitur igni.

Amorem duplici ratione videtur ſignificare, primò quia coitus, cuius deſiderium ex fruitione pulchritudinis plerunque oritur, ſine calore caſſus inaniſque eſt, Secundum illud Vergilij,

-frigidus in Venerem ſenior: Et in Terẽt.

Accedas & caleſces plus ſatis.

Accedit etiam illud medicorum, dicunt enim coitum calefacere, Amor verò honeſtus, vt amicitiæ & beneuolẽtiæ, etiam à calore originem trahit: nam laus eiuſmodi eſt, vt accendat & ſuſcitet, quod non modò ratione vtentes, ſed bruta quoque intelligunt: hinc illud,

Cantus amor laudum, tãtæ eſt victoria curæ.

Laudibus ergo & plauſu manuum accendantur & calefiunt bruta, ita vt fortius alacriuſque moueantur: calor enim laudis auiditate adauctus, ne ſegnes ſint, efficit, ita vt celerius ac pertinacius currant: hinc etiam eſt, quòd cùm in genere demõſtratiuo aliquem maximis laudibus

affici

affici audimus, mouemur, & in amorem illius inflammamur, & ficut ignis in circunftantia ligna, ita amor beneuolentiæ in aftantes auditores infilit: illa igitur inanimatio accenfio eft: propter hanc ergo fimilitudinem vetuftas amorem ignis nomine appellauit, Calor facit, frigus amorem fugat. ideo poëtæ cùm Cupidinem duplici telo arment alterum obtufæ cufpidis non fine plumbo eft, amorem fugans: frigidum enim eft plumbum: alterum verò acutæ cufpidis cum auro effe refertur, quod amorem gignit: aurum licet temperatum fit, Solem fequens cordi conuenit, vnde cætera membra calefcunt, in amoris feruorem trahit. Ouidius primo Metamorphofeos,

Deq; fagittifera prompfit duo tela pharetra,
Diuerforũ operũ fugat hoc, facit illud amorũ
Quod facit auratũ eft, et cufpide fulget acuta.
Quod fugat obtufum eft, & habet fub arundine plumbum. Hoc igitur metallum fuprà Saturno propter & tarditatem & frigiditatem fui tribuimus, & hæc duo amori refragantur: aurum verò Soli dedimus, in quo calor, fplendor, radiorum motus celerrimus eft, de his hactenus. Nunc ad elementum ignis reuertendum eft,

eſt, Ignis teſte Auerroide in Canticis Auicennæ eſt aëre calidior, & hic noſter ſenſibus obnoxius ignis, non eſt elementum: conclamatæ dementiæ eſſet, qui hanc ſibi opinionem induiſſet, vt ignis quo vtitur, cùm ſit compoſitus, eſſet elementum, quod eſt ſimplex: ſimplex autem & compoſitum quantum inter ſe diſtent, cæcus eſt qui non videt: Noſter verò non ignis, ſed fumus ignitus reuera eſt, nam Alexandri philoſophi, qui ſentit fumum hunc ignitum eſſe ignem, exploſa ſententia eſt: nam inter cætera quæ adducuntur aduerſus Alexandrum, non in poſtremis eſt, quod elementa generationis cauſam & non corruptionis præſtant, hic autem noſter ignitus fumus corrumpit ſemper & deſtruit: præterea elementum non eſt actu ſed potentia calidum, Calor enim cùm accidens ſit igni ſenſibili, & noſtro non poſſet elemento eſſe ſubſtantia, cùm notum ſit illud Ariſtotelicum, quod vni eſt accidens, alteri non poteſt eſſe ſubſtantia. Ignis autem elementum in concauo orbis lunæ exiſtens purus eſt ſine admixtione aliqua, cùm hic noſter corporibus terreſtribus annectatur: Ignis igitur elementum, duabus

bus qualitatibus, quarum altera summa, vt caliditas: altera verè remissa, vt siccitas, non actu sed potentia ornatur: Terra nanque igne est siccior, sicuti aër humidior est aqua de sui natura, sed cùm ad actum deuenitur, aqua magis quàm aër humectat. de his hactenus. Elementa omnia, vt latißimè patet, nomina habent deorum, & pro deis habita apud antiquos. Nam ignem Vulcanum, aërem Iunonem, aquam Neptunum siue Oceanum, terram verò Tellurem aut Plutonem, antiquitas appellauit. Sed dicerent peritiores, vnde hæc insania cordatos illos viros inuasit, vt elementa deos esse crederent, ita vt quibusdam effectibus horum sacrificia offerrent: vt

Nigrã hyemi pecudẽ, Zephyris fœlicibus albã.

Nam oblationes vbique occurrunt. Aduertendum est secundum Platonis sententiam rerum ideas, hoc est formas, & vt ita dicam, sigilla (nam idea est originalis rerum species) esse perpetua: & vt clarius loquamur ponemus exemplum, intra centum milia equorum, vel boum vel cæterarum specierum, si volumus inuenire principium & originem retrocedendo ab hoc vltimo equo ad patrem, & à

patre

patre ad alium patrem, & ſic deinceps: neceſſarium eſt deuenire ad vnũ equum immortalem & perpetuum, & à nullo creatũ, qui alios fecerit, & ſic de bobus & cæteris huiuſmodi erit. Ille igitur equus increatus & immortalis, tanquam aliorum ſigillum, nihil aliud eſt quàm idea, & forma equina in mente diuina (vt Chriſtiano more loquamur) nam beatus Thomas ex ſententia Auguſtini manifeſtè declarat omnium rerum ideas eſſe in diuina mente, & eas eſſe diuinam eſſentiam, per quas Deus omnia videt & cognoſcit: & Aurelius Auguſtinus Platonis & imitator & laudator adeo, vt in libro trium & octoginta quæſtionum ſic de ideis loquatur: Ideę ſunt principales quędam formæ vel rationes rerum ſtabiles, atque incommutabiles, quæ ipſe formatæ non ſunt, ac per hoc æternæ, ac ſemper eodem modo in ſe habentes, quæ diuina intelligentia continentur: & cum ipſæ nec oriantur, nec intereant, ſecundum eas tamen formari dicitur, quod oriri & interire poterit: & hæ ideæ non repugnant ſimplicitati diuinæ, vt teſtimonio Thomæ intelligimus. Et vt ad rem noſtrã reuertamur, antiquitas ideam

in

in mente diuina terræ, Plutonem, Tellurem, Cererem, Cybelen, diuersis rationibus vocauit: Aquæ verò ideam id est formam Neptunum, Oceanum, Nereum: Aëris verò Iunonem & Palladem: ignis Vulcanum & Vestam. quæ omnia alijs quoque nominibus propter diuersos effectus sæpe vocitarunt: nam Pomona dea est vis & idea arboribus impressa fructus procreans surculorum, ideo apud Plinium sic ea loquitur: Ego succum vini, liquorem olei gigno: ego palmas & poma & cætera, vt aliâs dicemus. Has ergo formas in mente diuina æternas & immortales pro dijs habuere, & coluere, & rectè: quoniã in Deo nihil est nisi Deus, & ab his ideis vt æternis, vt que ab ipso Deo corruptioni obnoxia originem ducunt, ita vt rerum species ab his immortalibus & diuinis speciebus pendeant: has autem in diuina simplicitate ideas & rerum omnium formas varijs modis intellexerunt: Nam commentator Auerrois duodecimo primæ philosophiæ, quasi conquerens de obscuritate Platonis eius dicta interpretatur, ita vt dicere voluerit has ideas esse angelos, qui diuino præcepto creandarum rerum Dei maiestate

quieta curā habuerint. Mathematici verò in huiusmodi negotio inter se dissident: quidam enim asserunt cœlum animatum omnia creans ex imaginibus in ipso signatis, nam octo & quadraginta sunt notæ, sed ignotæ innumerabiles quodammodo sunt: & ab his imaginibus tanquam rerum ideis, omnia quæ in mūdo sunt originem traxisse ad earum similitudinem, ita vt forma leonis leonem, & equi equum, & sic in cæteris formet. Quidam verò non tantum mathematici, sed diuinæ scripturæ interpretes, vt Albertus & Thomas, aiunt cœlum esse Dei instrumentum quo operatur: & hæc sententia à superiori non dissonat, nisi quia illi animam cœli Deum esse rentur, hi verò Deum omnium creatorem fuisse & eos animatos siue inanimes formasse: sed quātum ad idearum formationem, idem sentire videntur: nam si Deus cœlo vt instrumento vtitur in producendis rebus, vt aiunt, nil profectò aliud est quàm mandare, vt formæ in cœlo existentes, quod Deus vult faciant, & hoc ab æterno institutum fuisse, vt, dixit facta sunt, ipse mādauit & creata sunt. Ideas igitur in mente diuina, vt Christianitas sentit, antiqui-

tas

tas vt deos coluit : nam Vulcanum ignis, Iunonem aëris, Neptunum aquæ, Plutonem terræ ideas vocitans, vt æternas & immortales deos nominauit : & cùm sacrificia obtulere, vt nigram hyemi pecudem, diuinos nutus hæc facientes placare intenderunt : vnde quæ insulsissima ab imperitis putantur, summa sapientia etiam sale condita in honorem cultumq; venerunt, inter quæ nihil delirius iudicatur, quàm Priapum Deum putasse & coluisse : de quo pauca in medium referam : Nam Priapus & Lampsacus vrbes fuerunt in Hellesponto, & in Priapo rusticus quidam tanta membri virilis magnitudine fuit, vt è ciuitate pulsus sit, ne mulieres deuastaret, vnde Priapum à loco dixerunt, & vt numini templum dedicarunt : & quanquam Virgil. vltimum & nouum numen appellet, attamen in sacris literis de eo antiqua commemoratio, sic enim in III. libro Regum scriptum est. Insuper & Machaam matrē suam amouit, ne esset princeps in sacris Priapi, & in luco eius quem consecrauerat, subuertitque specum eius, & confregit simulacrum turpissimum. Sed dicerent acutissimi & sapientissimi viri, vnde tanta de-

mentia antiquos vexauit, vt membro virili tam turpi, tamque abhorrendo, vt sine infamia nominari non poßit, aras dedicauerint, templa edificarint, sacrificia obtulerint, ita vt non modò gentilitatem dæmonum solertia delusam, sed Iudæam quoq;, vbi veri Dei cultus frequens erat hæc monstra inuaserint? doctis & acutis superius responsum est: nam rerum ideas coluerunt, & illis templa & statuas cum suis insignibus dedicauere non sine causa: nam cùm Aesculapio viperam aßignarunt, quis non videt memor etiam eorum, quæ de theriaca diximus, vim viperæ in medicaminibus maximam esse? Hac igitur ratione Aesculapio, vt Deo medicinæ tribuêre. Templũ Priapo dedicauerunt, quoniam antiquitas colebat ideam fœcunditatis, & quia inter omnia culta fœcundiores sunt horti: ideo hanc fœcunditatis formam hortorum Deum vocauerunt: & cum huic Deo simulacrum ac statuam facere intẽderent, membrum virile erexerunt tanquam hominis portionem fœcundißimam: nam inter omnia quæ fœcunditatem referunt, virile membrum obtinet principatum: eorum enim fœcunditatẽ repræsentat, quibus

bus nihil excellentius, nihil [redacted] natura produxit: hominem enim pro fructu fœcunditatis oſtendit. Hanc igitur virilis membri imaginem ideo venerati ſunt, quoniam ea ideam fœcũditatis reddebat: & inter ea, quæ fœcunditas præſtat, hoc eſt excellentiſsimum: fructus enim reliquos ex fœcunditate habitos hominum præcioſa factura ſuperat: meritò igitur hominis membrum fœcundum in illius ideæ imaginem retulêre. Hæc volui dixiſſe, ne homines imperiti tam ſtultum fuiſſe putent, membrum virile templis ornaſſe, cultuque celebraſſe: nam cum hæc humana ratio coniectarit, labi & in his errores oriri facilè poſſent. At in dogmate Chriſtiano non niſi veritas eluceſcit, fides enim noſtra diuinitus inſpirata, antiquorum errata deleuit, nec dæmonum ſolertia capi poſſumus: quoniam eo doctore vtimur, qui nec fallere, nec falli poteſt. Deus enim Dei filius humana carne veſtitus, nobiſcum verſatus, quæ in cœlo abſtruſa erant menſuram ingeniorum humanorum excedentia omnibus audire cupientibus diuulgauit: nam poſt ipſum diſcipuli totum orbem veritate impleuerunt, & ad imitationem

CH[illegible], quæ prædicarunt, opere adimpleruntnon enim in diuinis rebus humana coniectura sufficit : sed necesse est cœlitus delabi inspirationem, quæ mentes hominum illustret, & ita erudiat, vt ne erroribus quidem fallacibus capiantur : vnde CHRISTVS & pontifices summi, inter quos Innocentius octauus, vir diuino ingenio, maximaque sapientia CHRISTVM imitantes ac referentes ea nobis documenta tradidere : ea inquam, quæ cœlitus successione potestatis habuerũt, & veritate subnixa humanas coniecturas ab erratis reuocarunt, & reuocant : diriguntque ad cœlum. Et Magnificus Laurentius ingenia scriptorum ac religionem maximè fouens effecit, vt si quid ambigui restaret celeberrimis scriptoribus illucescat. Nam tot in orbe religionis monumenta, plurima templa instaurata, multa constructa, ac omnia ferè ornata, & à familia Mediceorum, & maximè à Laurentio conspicimus : vt ædificiorum magnificentia, diuitiarum & ornamentorum copia etiam cum ditissimis populis, summisque regibus comparari non sine laudis excellentia possint.

De mulieribus in viros conuersis, & maris an fœminæ in coitu sit maior voluptas.

CAP. XVIII.


IS quæ de admirando nonnullorum deorum cultu, deq; noua religione narrauimus, fortaßis mirabiliora subnectã. Nihil enim tam monstruosum apparet, quàm sexus mutatio, quamobrem ea quæ de Iphide tradita sunt, mentibus hominum infixum est, fabulosè narrari, vt,

-potiturq; sua puer Iphis hianthe,

vt Ouidius scribit: & vt hoc verum fuisse ostendamus, quædam prius in medium proponentur, poëtarum & in religione quoque mos est vti modis dicendi metaphoricis & allegoricis, ita tamen vt à veritate non discedant teste Lactantio: vnde Ouidius tertio Metamorphoseos,

Forte Iouẽ memorant diffusum nectare curas
Seposuisse graues vacuaq; agitasse remissos
Cũ Iunone iocos, & maior vestra profecto est
Quam quæ cõtingit maribus dixisse voluptas.

Ex quibus verbis moti ad ea quæ indicare intendimus sermonem dirigemus. Intendimus autem ostendere, & sexus mutationem esse facilem & in coitu mulierum voluptatem lõge maiorẽ esse quàm

virorum. Iupiter enim & Iuno huius rei iudicem fecerunt Tiresiam qui vtrumq; sexum expertus facilè dijudicaret: Nos verò ad huius rei probationem Auicennam & Nicolaum Peripateticum viros excellentissimos attestabimur: nam quæ oculis vidimus inter anatomicos, cum eorum sententijs concordant. Nam vulua siue matrix, vtrunque enim apud idoneos reperitur, est in mulieribus instrumentum generandi, sicut in viris mentula: quæ in mulieribus quoque alio tamen situ posita est. Nicolaus enim & Auicenna aiunt matricem in radice sua creatam membro virili similem in duobus differentem: primò quia mentula virilis foras, & muliebris intro protenditur: deinde in sexu fœmineo testiculi non pendent, sicuti in viro, in omnibus verò alijs conueniunt: Nam & glandem, & colem & præputium habent, ita vt hæc in matrice penem intro versum constituant, vt si penis noster retrocederet, ita vt glandem ad interiora, & testiculos ad exteriora pelleret, matricem efficeret. In mutatione igitur sexus non alius labor, nec vlla nouarum rerum creatio exiguntur, nisi vt in muliere glans exeat, quo facto statim

ſtatim erit vir: & in viro, vt eadem pars ad interiora pellatur, vt ſit mulier: nam nos ſæpenumero in corporibus humanis, ſpontaneas & eminentias ire intro,& extra redire, vt in ſtrumis, & neuis, & alijs huiuſmodi videmus: Colei ergo,quos ad ſimilitudinem teſticulos vocant, in matriee primum locum obtinent, Colis autem & glans vltimum:cùm in viro mentula ſit anterior, & hernia quæ eſt theca coleorum poſterior ſita eſt, nec tamen in generatione neceſſe eſt coleos pendere: reperti enim ſunt plurimi, quibus non pendent, ſed affixi ſunt. Matrix eſt neruoſa duplici textura compacta, & membrum virile adeò neruoſum eſt, vt nerui appellatione intelligatur, ſicut illud Satyricum monſtrat:

-Nam ſi tibi ſidera ceſſent,
Nil faciet magni menſura incognita nerui.

Et vt matrix facilè dilatatur, vt fœtus indicat, ita & mentula frequenti coitu & Veneris exercitio craſſeſcit, & ampliatur, teſtimonio Hippocratis & Auicennæ x x. tertij, qui ait: vſus coitus corroborat membrum redditque lacertoſum, & è contrario Veneris deſuetudine conflacceſcit, vt monſtrat & illud

Aristotelicum à Cicerone ornatissimè dictum. Iam notum est, contraria contrariorum sunt consequentia: nam cùm in mentula nostra tres meatus sint: vnus nanque est vrinæ, alius verò seminis: tertius autem est humoris illius qui plerunque ex inspectu pulchrarum personarum commotus exit, quem nos alio modò non vrinam tantum, sed conceptam vrinam vocamus: hinc satyrus, concepta vrina mouetur, sed Punicè guadi appellatur, Latinis autem aliquando vrinæ & seminis humani promiscuum est vocabulum, vt & verbum illud indicat, patriciæ immeiat vuluæ. Sed vt ad rem nostram reuertamur, sunt quidam minus tamen idonei, qui narrant in anatomia se vidisse in muliere matricem inuersam, & alio modo sitam quàm maior pars ferat: quod si ita esset, nullus esset in mutatione sexus labor, quæ & si esse possint, tamen quia à minus idoneis referuntur, vana esse puto. Omnes enim doctissimi viri eo quo narrauimus modo, situm vuluæ esse dictitant: & quanquam in humanis corporibus sæpe varietas comperta sit, tamen non negamus, quæ doctissimi viri se vidisse referunt: nam calua hominis

minis ſine ſuturis aliquando viſa eſt, cùm maior pars ſuturas habeat: & quibuſdam ſunt oſſa ſolida, cùm maior pars oſſa cum medullis geſtitet: & ſæpe in ſuturis caluæ aurum repertum eſt, vt Magnus Albertus refert, viſum etiam ſæpe eſt, ex illis duabus vijs quæ bilem deferunt, varietatem factam, vt hæc quæ tendit ad ſtomachum ſit amplior ea, quæ ad inteſtina deſcendit: & qui huiuſmodi varietatem habent, bilioſi ſunt ſemper, cum latior à natura, quæ ad inteſtina bilem defert, via expoſtuletur. His igitur enarratis non tam mirabilis eſſe debet mutatio ſexus: nihil enim apponitur, nihil noui gignitur, nihil profectò remouetur, ſed quod intus erat exit, & quod foris conſpicitur, ad interiora reuocatur, ita vt ſi linguam exporrectã ad guttur reduceremus. Hoc autem ſæpe fuiſſe factum teſtabitur vir exactiſsimæ eloquentiæ Aulus Gellius: ait enim octauo Noctium Atticarum ſic, Libitum tamen eſt hoc loco miraculorum notare, id etiam quod Plinius Secundus, vir temporibus ætatis ſuæ ingenij dignitatiſque gratia, autoritate magna præditus, non audiuiſſe neque legiſſe, ſed ſcire ſe atque vidiſſe in libro Naturalis

hiſtor

historiæ septimo scripsit. Verba igitur hæc quæ infrà posui, ipsius sunt, & ex eo libro sumpta: quæ profectò faciunt, vt neque despicienda, neque ridenda sit notissima illa de Ceneide & Ceneo cantilena: Ex fœminis, inquit, mutari in mares non est fabulosum. Inuenimus in Annalibus Q. Licinio Crasso, C. Casio Longino consulibus C. Asinij puerum factum ex virgine sub parentibus, iussuque aruspicum deportatum in insulam desertam. Lucinius Mutianus prodidit visum à se Argis Arecontem, cui nomen Arescusæ fuisset, nupsisse etiam, mox barbam & virilitatem prouenisse, vxoremque duxisse: eiusdem sortis & Smirnæ puerum à se visum. Ipse in Africa vidi mutatum in marem die nuptiarum, L. Consitium ciuem Trisdentanum, viuebatq; cum proderem hæc. A Gellius, in quo nomine omnis Italia tempestate nostra aberrat, cum Aulum Gellium scribat, immemor Prisciani, qui ab agro agellum, & ab agello agellium dictum putat, & scripturæ antiquæ inscitia vbi semper iunctis literis nomen hoc scribitur, nam Gellius alter est, qui à Plinio allegatur, cùm Agellius, de quo loquor, Plinium alleget: de

his

his ſatis. Nunc videndum eſt in quo ſexu ſit maior voluptas coitus: aduertendum eſt ſemen maſculinum eſſe calidius fœminino, vnde titillatio & tactus perfectior oriuntur. Voluptas autem coitus eſt pediſſeca tactus: accedit etiam quòd habitudo maſculi eſt temperatior fœminina, ita vt ex his duobus tantum voluptas viri ſuperet mulierum iucunditatem, caliditate ſcilicet ſeminis, & habitudine tẽperatiori. Sed ſi alia quæ in coitu accedunt diligenter inſpiciamus, ſunt autem plurima, vir in coitus voluptate erit muliere longe inferior, quæ ſi in comparationem venerint, facilius diſcernentur. Sexus maſculinus in eiectando ſemine titillatur magis muliere, quoniam diutius longiusque fluit, & temperatura habitudinis virilis non nihil voluptatis adijcit, ita vt his tantum de cauſis, quæ perexiguæ ſunt, virilis coitus anterfertur mulieribus. In maximis verò voluptatis incitamentis mulier ſuperat virum, primùm enim gaudium iucunditatis eſt, cùm virile ſemen excipit: nam calore illo matrix fouetur: & non nihil addit ad voluptatem, quæ maximè augetur, cùm vuluæ interiora quæ vt vermiculi pruriunt,

vnde

vnde poëta, vt Dolem fricemque cunni vermiculos scaturientes, manifesta similitudine locutus est: interiora inquam vuluæ crebra fricatione virilis membri scalpuntur: sursum enim ac deorsum mentula agitata scalpit, & titillat, ita vt nihil iucundius sentiatur: nam fricatio, & præsertim in his locis, vbi semper causa pruritus est, maximæ iucunditatis esse sentitur, ibi nanque sunt conceptacula superuacuorum, & vt consequens est, prurituum, quæ cùm fricantur & oblectant & prosunt: præterea vir in coitu damnum corporis patitur: fundit enim quod suum est, illa verò recipit, & hinc est quòd fortior, habitior, vegetior ac lætior exurgens mulier voluptatem omnibus visceribus cum emolumento percipit. Mulier igitur semen viri fusum colligendo, & suum quoque fundendo, orificio matricis scalpto & confricato, acceptione, & non largitione facta in motu etiam pari & colis glande titillata, & corpore roborato, cùm illud Ouidij præceptum seruatur

Ad metam properate simul,

minimã & quasi nullã sui cõparatione viri voluptatẽ iudicat. Hinc illud Satyricũ.

—nam quantula nostra voluptas.

Cum

Cum in medium sermo de vtriusque sexus coitu intercurreret in diminutionem voluptatis nostræ id dictum est. Accedit etiam ad hoc quòd voluptas mulierum, maior redditur etiam si cum viro summa beneuolentia iuncta est: nam vt inquit Propertius,

Omnis amor magnus, sed aperto in coniuge maior: summam autem diximus beneuolentiam pro sexu: nam licet amor, vt exemplo declaremus, ad quartum vsque ordinem in viro & muliere se extendat. & ille dicatur maximus, attamen quia sexus fœmininus ardẽtius cupit quàm masculinus, in illo eodem ordine amoris maiorem voluptatem sentiet: ita vt beneuolentia in medio posita in quantitate pari ab vtroque sexu accepta, in intentione ac remissione sentiet imparitatem: præterea si latitudo, longitudoque mentulæ vacuitati vuluæ correspondeat, etiam hîc voluptas muliebris maximè augebitur. Nam vir & si ampliori campo versetur, fricatione non indigens rem veneream peragit. Illa verò cum rugosam habeat matricem fricatione indigentem, si crassiori membro explicabitur, duplicabit voluptatem: hinc est quod mentulatos mulier

concup

concupiſcit: & ex hoc caſtitatem in muliere difficiliorem eſſe quàm in viro rectè colligimus. Nam vbi voluptatis affectus eſt vehementior: ibi quoque maiora eſſe incitamenta noſcuntur. His igitur pertractatis, meminiſſe oportet coitum peruerſo ordine peractum, vt cùm mulier aſcendit virum, eſſe periculoſum: fuiſſe autem & olim aliquando huiuſcemodi rei abuſum, illud quoque iocosè dictum Martialis indicat,

Hectoreo quoties ſederat vxor equo.

Ex huiuſcemodi enim ordine coëundi plerunque ramex, nec non mentulæ ac veſicæ exulceratio naſcitur: ramex ſiquidem propter difficultatem eiectandi ſeminis, quod viro ſupermoliente mulierem facilè fluit, ſecundo enim & prono curſu vtitur, ſed è contrario non niſi vi eiectatur, quo conatu membrana continens inteſtina frangitur, & hinc defluxus inteſtinorum in herniam ramicem efficit: ſed exulcerationis duplex cauſa eſſe poteſt: nam ex muliebri defluxu aliquid in mentulam exulcerationem faciens facilè prolabi poteſt, deinde ne ex ſemine viri particula nõ eiectata remanẽs, quod peſsimum eſt, hoc idem efficiat: vnde medici

dici improbant illos, quos in Priapeis coëundi modos Philenis enarrat. Præterea Auicenna x x. tertij, coitum non esse vtilem ait, quem excernendi mingendi've necessitas comitatur.

De coitu, & eius vocabulo suppresso ab antiquis, CAP. XIX.



ROPOSITVM rei nos admonere videtur, vt de coitu sermonem faciamus: qua in re veniam petimus, ea enim sese narranda offerunt, quæ vix seruata modestia enuntiari poterũt: Nam apud Romanos nullum detestabilius quàm hoc libidinis facinus habitum est: bis enim ex libidine subuersa est respubl. vt Virginia Lucretiáque testantur: hinc est quod alijs peccatis, quæ maxima habentur, nomina tribuerunt, hoc vnum ita infandum putarunt, vt appellatione dignum esse negarent. Nam superbiæ, auaritiæ, ganeæ, inuidiæ, iræ est, sed inertiæ, siue desidiæ quæ huius mali fomes putatur, propria appellatio defuit, illud namque Ouidij testimonium affert,

Queritur Aegysthus quare sit factus adulter
In promptu causa est, desidiosus erat:

Et hoc modo nec facinori tetro, nec eius

fomiti nomen idoneum accommodarunt veteres, nefas putantes has hominum pestes sortiri appellationem: nam siue luxuriam, siue luxum, siue libidinem, siue voluptatem, siue coitum posueris nihil peculiare dixeris: vt,

Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus:

&, *-epulæ que ante ora paratæ*

regifico luxu: vt Ouidius Virgiliúsq; testantur nomẽ superabundãtiæ propones. Coitus autem Solis & Lunæ, & libido & volupras in omnibus ferè se intermiscẽt, nequitia autem & malum (nam his quoq; aliquando coëundi actum appellamus) idem quod narrauimus monstrant. Ouid.

Nequitia est quæ te non sinit esse senem,

& in nono Metamorphoseos:

-si non & perdere vellent

Naturale malum saltem de more dedissent.

Sed vnum præ cæteris nomen magis inhæsit, nam Lucretius v. spurcitiam videtur appellasse,

Quid've supbia spurcitia ac petulãtia quãtas
efficiunt clades, quid luxus desidiaq;,

Et hoc quoque communitatem appellationis innuit, à porco enim nomen assumpsit, vt spurcitia quasi porcitia, s, litera addita quæ sæpe loco sibili ponitur teste

teste Messala, & in vsu quoque abijcitur aliquando: Virgilius.

Inter se coisse viros & decernere ferro.

Sed hoc malum porco maximè tribuitur, quoniam tanta voluptate afficitur, vt in ipso coitu obdormiscat: & hinc subare pro libidinari à sue tractum est, quo verbo etiam Hieronymus contra Iouinianum vtitur, & in libro ad Herennium Cicero. Siquid spurcè inseruit: Iuuena.

-Ad spurcos decepta lacus. Rem igitur veneream tam tetrũ tam infandum scelus putauit antiquitas, vt minime in ore hominum esset, quod simile videtur illi edicto, quo cautum est, ne incensor templi Dianæ Ephesiæ nominaretur, vt eo quod optabat scelestus ille fraudaretur: famam enim quærebat, Sed mutatis moribus Latinorum permultæ & inhonestæ quidem appellationes prodiere pro diuersitate scelerũ, & hinc fellatores, cunnilingi, & pedicones siue emasculatores, & fututores, & alia huiusmodi turpia coitum comitantia effluxerunt. Nos verò in præsentiarum honesto vocabulo coitum vsurpabimus: Coitus siquidem in se duo diuersissima continet: nam mediocris saluberrimus, nimius autem perni-

ciosissimus habetur. ex sententia enim Auicennę vicesima tertij, Coitus curas & cogitationes inhærentes excludit, audaciam præstat, iram mitigat, grauē in moribus hominem reddit & atræ bili, quæ plerunq; mentes hominum stimulis demētiæ vexat, medetur: fumos enim aggregatos à corde cerebroq; depellit, doloribus renum subuenit, ingenium acuit, & ab inguinibus coleisque abscessus, quos Græcitas apostemata vocat, penitus remouet: bene igitur poëta de Arte amandi ait

—Pax omnis in vno concubitu. Nocumenta verò in nimio coitu sunt penè infinita, quoniam nihil ferè magis hominē eneruat, podagramq; generat, dorsi, renum, vesicæ dolorem, nec non colicam, orisque fœtorem efficit: oculos hebetās, & alia plurima. Vnum tamen aduertendum est, non omnem libidinem æqualis iuuamenti nocumentive esse. Nam cum muliere coire, & si sanctum vtileque humani generis conseruationi esse noscatur, attamen ex eo plus humidi consumitur, sua enim caliditate virum, mulier exhaurit. Sed diuersæ regiones diuersis moribus ornātur, apud Hæbræos virginitas pro vitio habebatur, filia

filia enim Iepte, ad mortem destinata, temporis spatium petiuit, vt virginitatem suam defleret. Et hæc eadem inter philosophos vitio daretur, nam virtus est medium vitiorum vtrinque reductum teste Flacco, sed autore Aristotele, qui virtutem dicit esse habitum electiuum in mediocritate consistentem, Virginitas autem, est alterum extremorum, & vitio, vt diximus daretur, nisi ad virtutes heroicas reduceretur, vt etiam beatus Thomas in Ethicorum libro asseruit, Sed apud Romanos & apud Christianos tantæ est & fuit excellentiæ, vt nihil ferè supra habeatur: imò volunt etiam magi, quod spiritus & dæmones, propter naturæ similitudinem, ipsi nanque non coëunt, maximè diligunt virgines & castos: similitudo enim dilectionis est causa. vnde cùm deos placare intendimus, castitatem seruamus, secundum illud:

Hæc casti maneant in religione nepotes,

quod etiam secundo Aeneidos poëta tetigisse apparet: ait enim,

-Et spissis noctis se condidit vmbris
Apparent diræ facies inimicaq; Troiæ
Numina magna Deûm. Nam Venere præsente (ea nanq; deorum ac spirituum

visionem prohibet) nihil profectò viderat, sic etiam nunc quidam magiam imitantes, cùm furem in phiala aquæ apparentem noscere exoptant, virgunculas aut infantulos impollutos eligunt, vt ea simulacra conspiciant quæ pollutus minimè videt. Sed ea commoda, quæ ex coitu, testimonio Auicennæ ex medica arte loquentis habentur, apud sapientes viros & heroicis moribus ornatos vana cassaque sunt, vitæ enim inspectiuæ dediti, diuturna exercitatione, virtutum habitudine acquisita, victusque temperamento adaucta, illa omnia & maiora quidem & honestiora cómoda assecuti sunt. Sic modestia facit, sic temperantia operatur, sic constantia firmat, atque consolidat: vt philosophi virtutum adminiculo subfulti, incitamenta Veneris & fortunæ ludibria pedibus subiecerint. Sed Auicennæ documenta his traduntur, qui in delicijs agentes, vitam commessationibus ac ebrietatibus inuoluerunt: Crapulantes enim indies euacuatione indigent, quam coitu temperato fieri posse ex arte medica arbitrantur. Secundum hanc igitur Auicennæ sententiam omnis medicina humana loquitur, nam & Cornelius huius

ius rei non fuit immemor, cùm coitum nec appetendum nec reformidandum esse ait, quoniam crebro & frequenti soluimur, & raro excitamur.

De philosophis qui viuentes sunt mortui.

CAP. XX.

EA quæ de philosophis dicta sunt nos hortantur, vt ostendamus philosophantes & vitæ inspectiuæ deditos, humanarum rerum exortes, & vt consequens est mortuos esse, alioquin commoda ab Auicenna ex arte medicinæ de coitu tradita, sine ratione floccifecisse videremur, cum ea non pertinere ad sapientiæ studiosos asseruimus: est enim philosophia sapientiæ amor: amor autem ex diui Platonis definitione est fruendæ pulchritudinis desiderium. Sed pulchritudo duplex, & corporis & animæ esse perhibetur, vnde Cicer. in libro de Officijs, Et tanquam faciem honesti vides, quam si oculis cerni posit, mirabiles (vt ait Plato) amores excitaret sapientiæ, de pulchritudine animæ oculisque corporeis intelligens, & nomen philosophi à Pythagora excogitatum, cùm sapiens antea diceretur, amatorem siue amicum sapientiæ sonat: ami-

cus autem & amator, idem aliquando significant: Ouidius,

-Cum culta pax sit amica. Et amor, & amator etiam ad inhonesta quandoque diuertuntur: dicemus igitur philosophos, vt amatores esse mortuos: hi enim dicuntur mortui, si de humanis loquimur, qui non vtuntur corpore: vita nanque ex corpore animaque constat, vita inquam humana: nam vitæ per se plerunque dicuntur spiritus, vt in Virgilio:

-Tenues sine corpore vitas. Sed vitam nunc more doctorum etiam in medicina hominum finimus, cùm sit cōsistentia per alimentum: Alimētum autem est corporis. Nihil enim nutriri ali've aut indiget aut potest, quod omnino corpore careat. Hi igitur qui corporeis commodis non vtuntur, nutrimento non indigentes, carent vita: Philosophos autem huiusmodi esse statim patebit, eos nō vti corpore facilimū est cognitu. Is enim corpore vtitur, qui ea efficit, quæ moles corporea affert: moles autem corporis voluptates, affectus, tarditatem hebetudinemq; animi præstat: quod etiam Virgilius decantauit,

-Quantum nos noxia corpora tardant
ferrenosq; hebetāt artus, moribundaq; mēbra.

Volunt

Volunt enim sapientes, spem, dolorē, gaudium, timorē, quæ sunt animorū affectus contagione corporis prouenire, & ideo abijciendos esse dictitant: vnde Boëtius

gaudia pelle, pelle timorem,
spemq; fugato, nec dolor adsit.

Ex his nanque tanquam fomitibus malorum, & minima & maxima peccata prosiliunt: sed philosophus nihil concupiscit, nihil formidat, nihil sperat, nullo gaudio agitatur, nullo dolore torquetur, omnia enim illa vnde hæc manant & pullulant, conculcat & obterit, & clipeo tandem rationis à se abijcit: Hæc autem corpori annexa sunt: sed nemo huiusmodi affectus reijcit, nisi fontem eorum aut siccet aut fugiat: fons autem est corpus, vt iam dictum est, & qui siccat aut fugit corpus, moritur: mortuus ergo philosophus est. Nam corpus fugiendo commoda corporis negligit, corporis commodum nihil aliud est nisi vita, vel ad vitam pertinens: fugit ergo vitam, vel ad vitam spectantia, qui corpus relinquit: qui vitam vel spectantia ad vitam fugit, non est amplius in numero viuorum: quia viuere est corpore, & commodo eius vti. Præterea in hoc animæ corporisq; nexu, qui vita dicitur,

ſuperbia viget, auaritia graſſatur, ira dominatur, inuidia torquet, ſpurcitia ganeaque oblectant, deſidia illaqueat, ita vt hæc ab illis ſuperioribus orta, vt maxima ab illa tabida corporis contagione proueniunt: & qui corpore vtitur, his omnibus eſt obnoxius, niſi aut affligendo aut conterendo corpore ſeſe è carcere eximat, qui enim huiuſmodi eſt vt corporeo carcere non includatur, mortuus eſt: Philoſophus igitur mortuus ſine corpore Dei eſt amicus, vt ait Plato ab Auguſtino allegatus. Sed amicitia non niſi ex ſimilitudine naſcitur: eſt ergo philoſophus Deo ſimilis, & omnium poſſeſſor: nam omnia ſunt Dei, & amicorum cõmunia omnia. In Deo non niſi virtus & ſapientia & bonitas ſine corpore eſt: itidem de philoſopho cenſetur, vt eius eſt captus. Vbi autem non eſt corpus, non eſt humana vita: Accedit ad hoc, quòd philoſophi in contemplatione rerum diuinarum ſunt, & in diuinis cogitant: cogitatio autem eſt animi operatio: nihil enim niſi vbi eſt, operatur, ſed philoſophorum animus in diuinis operatur, illic ergo eſt: ſed qui in cœlis eſt, non eſt in terra: nihil enim de corporeis duobus in locis vno eodemque

temp

tempore esse potest: Ergo animus philosophi & extra corpus est, quandoquidem corpus in terra versatur. Qui igitur extra corpus ponitur, mortuus est: mors nanq; est animæ vel corporis absentia, & si verum est illud Empedoclis, qui ait: Tria præstat philosophia, scilicet, mobilis affluentiæ contentum, supernæ fœlicitatis appetitum, & mentis illustrationem, statim conuincemus, has esse hominis mortui conditiones: mobilem effluentiam is contemnit qui ea non indiget, sed viuis victus & vestitus, qui partem mobilium bonorum implent, sunt necessarij: viui igitur qui sunt, ea minimè contemnunt, quibus carere nullo modo possunt: quoniam vita, vt iam diximus, est consistentia per alimentum: mortuus ergo philosophus omnis est. Appetitus etiam fœlicitatis supernæ mortuos, dum viuere videntur, sapientes reddit: qui enim aliquid appetit, in eo considerat & cogitat. Cogitatio autem imaginationem, & alia huiusmodi in se continens est præcipua animi operatio, qua operatione exclusa non est animus siue anima, ibi igitur est, vbi operatur: Deus enim dicitur vbique esse, quoniam vbique operatur, licet de

Deo

Deo alia ratio sit, omnia enim in se continet, & omnia Deus implet, & nihil, vt iam sæpe innuimus, operatur, nisi vbi est: philosophi ergo animus in felicitate superna operans ibi est, qui autem huiusmodi est, non ducit humanam vitam sine corpore, igiturq; mortuus est. Mens nunquam potest illustrari, nisi tenebrę excludantur, sed moles corporea mentem obtenebrat, qua exclusa fugantur & tenebræ, tenebrarum absentia illustrat: mens igitur illustrata sine corpore est: qui autem à corporis incommodis abest, mentemque habet illustratam non ducit vitam humanam, & hoc modo mortuus est. In diuinis igitur & vita inspectiua versari relictis corporum incommodis, est ibi inhærere, ibique esse: nihil enim, vt iam sæpe dictum est, operatur, nisi vbi est: ibi est: ibi ergo operatur qui in diuinis operatur, & est, nobiscum non est: vitam ergo non ducit humanam, quæ ex corpore animaq; consistit. Mortuus ergo est philosophus, & hoc in dubitationem adduxit Apostolum, cùm ad tertium cœlum raptus est: ait enim, siue in corpore, siue extra corpus ego nescio, Deus scit: Et idem ad Galathas. Viuo iam non ego, viuit autem

tem

tem in me CHRISTVS. Nam cùm semper de Deo cogitaret, ibi erat: nam cogitatio animi est operatio Vbi operabatur, ibi erat animus, non viuebat ergo. & Dionysius ait, diuinus amor est extasim faciens, id est, extra seipsum homines ponens: qui extra se positus dicitur, non est in se, hoc est in vita humana: mortuus igitur est. Tales profectò sunt vitæ contemplatiuæ addicti, cùm contemplatio sit libera mentis perspicacitas in sapientiæ speculatione suspēsa. Quis enim tam rudis est, qui ex hac diffinitione, vbi libertas mentis desideratur, non intelligat omnes contemplatores liberæ mentis, corpore exutos, & mortuos esse? absentia enim corporis vel animæ mortem semper efficit. Sed dicerent nonnulli, complusculi enim sunt qui minutissima quæque scrutantur, si amatores sapientiæ desiderium pulchritudinis fruendæ tenētes, pulchritudinis inquam mentis sunt mortui: cur spirant, cur strepunt, cur iactu contemplationis plerunq; mouētur? motus enim ille & respiratio viuentium & non mortuorum est. Hæc tam pueriliter obiecta mouent mihi risum, si respiratio, & sonus, & motus viuentem, vt nos finimus,

face

facerent, ignis profectò viueret, ex ani-
ma corporeque humano constaret: nam
cùm non respirat extinctus est & moue-
uetur strepitque semper, vt

-crepitantibus vrere flammis. Vita enim humana non in his, sed in nexu animæ & corporis consistit: quoniam altero deficiente mors sequitur: quæ cùm huiusmodi sint, omnes philosophos ac vitæ inspectiuæ addictos mortuos esse concludimus: soluitur enim nexus corporis & animæ, cùm nobiscum sunt corpora, & animæ in arduis operentur, & operans ibi est, vbi operatur. Non est igitur mirum, quod de Xenocrate philosopho traditur: sic nanque Valerius Maximus scribit, Phryne nobile Athenis scortum, iuxta eum vino grauem in peruigilio Cereris accubuit, sponsione cum quibusdam iuuenibus facta, an temperantiam corrumpere posset, quam nec tactu nec sermone aspernatus, quo ad voluerat in sinu suo moratam propositi irritam dimisit, factum sapientia imbuti animi respuens: sed meretriculæ quoque dictum, perquàm facetum, deridentibus se adolescentibus quòd tam formosa tamque elegans poti senis animum flectere illecebris

bris non potuisset: non de statua, sed de homine se posuisse pignus respondit. Potest'ne hæc Xenocratis cōtinentia à quoquam magis verè magisque propriè demonstrari quàm ab ipsa meretricula expræssa est Phryne? pulchritudine enim sua nulla parte constantissimam eius abstinentiam labefecit. Ex his igitur Valerij Maximi dictis apprẽdimus Xenocratem statuæ comparatum, esse mortuum, statua enim inanimis est: si igitur philosophi tales sunt, vt viuentes sint mortui, quis mihi imputabit, si quæ de coitus commoditate, quam Auicenna commemorat nihil ad philosophos spectare asseruerim? commoda enim illa corporis sunt, ideo exutos corpore non sequuntur: quid enim rei est mortuis cum coitu? & quid emolumenti res corporea afferre potest his qui corpora neglexerunt? Illa medicorum præcepta traduntur implicitis illigatisq; mole corporea, & qui vitam, si vita dicenda est, more brutorum agunt: ventri enim dediti, quæ voluptatis sunt quærunt: philosophi autem & vitæ inspectiuæ dediti, & veræ sapientiæ addicti omnia illa conculcant. Est autem vera sapientia Christiana fides, in qua veritas relucet.

lucet. Imò Saluator noſter de ſe ipſo inquit, Ego ſum via veritas & vita: nihil autem teſtimonio philoſophiæ ſcitur, niſi verum: non poterit ergo ſcire, qui viam veritatis amiſit: veritas autem eſt CHRISTVS, qui doctrinam ſuam amplexantibus pollicetur, vt ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit: Theriaca igitur magna & Mithridaticum antidotum non ſunt CHRISTI ſequẽtibus ſcripta: Nam & in libro Sapientiæ ſcriptum eſt: vigilia & cholera, & tertiana viro infrenito, ſomnus ſanitatis in homine parco, & vt ad Xenocratem illum Platonis diſcipulum reuertamur, non modo ipſe philoſophando corpus obtriuit, ſed alios quoque ad philoſophiam adducendo mortuos fecit. Polemon enim corruptiſsimis moribus viuens Xenocratis legentis irridendi gratia ingreſſus eſt ſcholam, at Xenocrates huius iuuenis veſtitu & inceſſu laſciuiam indicantibus bene perpenſis à propoſito diuertens, ad extollendam frugalitatem ſe contulit, cuius doctrina permotus Polemon, laſciuia abiecta Xenocratem ſecutus in clarum philoſophum euaſit, quod & Horatius Flaccus tetigit:

–quæro facias ne quod olim

Mutatus

Mutatus Palemon, ponas insignia morbi,
Fasciolas, cubitale, focalia, potus & ille
Dicitur ex collo furtim carpsisse coronas,
Postquàm est impràsi correptus voce magistri.

Mortuus ergò Palemon ex viuente factus illecebras corporis abijciens, quæ sunt philosophorum secutus est: hi enim vitæ inspectiuæ addicti, vbi aliquid considerandum est speculantur, vnde in prima philosophia dicitur: philosophũ quodammodo amatorem esse fabularum, ex miris nanque constant. Admiratio igitur philosophum ad rerum cõtemplationem inuitat: hinc est quod fabularum, vbi admiranda ponuntur, est quodammodo, vt diximus, amicus sapiens, quem mortuum esse dudum ostendimus.

De multis generibus fabularum etiam verarum, & cur fabulæ varia operentur in homine, & quæ constellatio faciat amatores fabularum. CAP. XXI.



ABVLAM Cicero ad Herennium finit eam, quæ nec vera nec verisimilis est; ex cuius sermone comprendimus fabularum aliam non veram, vt comœdiæ & tragœdiæ, & aliam non verisimilem, vt homo in leonem lupum've conuersus.

Comoedias autem fabulas dici Terentius testatur, cùm ait:

Populo vt placerent, quas fecisset fabulas.

Sed in his & tragoedijs non veri similitudo, sed veritas deest: ficta enim narrantur, & in conuersione hominis in bestias alias've res verisimilitudo abest, cùm veritas subesse poßit. Sacra enim historia, vxorem Lot in statuam salis versam esse commemorat, ita vt secundum Ciceronem, & quosdam doctrina ingenióq; præstantes, fabularum nomine contineantur, quæ vera aliquando fuerunt, hoc nominis sortita, quoniam abest verisimile: Narratio oratoris non constituit verum, non verisimile: vnde dicitur narrationem esse oportere veram, aut verisimilem, ita tamen, vt quod verum est, etiam verisimile appareat, cùm verisimile ei sit satis absque vero: ex verisimili nanque nascitur credulitas, id est, persuasio: & hæc est vna fabulæ acceptio, ita vt sit fabulosa res vera non verisimilis, & eodem modo appelletur res verisimilis, non vera: in altero veri similitudo, altero autem veritas deficientes fabulæ nomen formant. Fabula etiam pro eo accipitur, quod homines

aut

aut fantur aut fabulantur. Iuuenalis,

It noua nec tristis per cunctas fabula cœnas,

& cum huiusmodi in omni actione paratam fabulam affirmet Plinius, de eo quod rumoribus disseminatur intelligit. Sic etiam Suetonius in Augusto, Cœna quoq; eius secretior in fabulis fuit, ita vt huiusmodi fabulæ non sint veritatis penitus expertes. Sed eá fabula, vt suprà diximus, cuius amici sunt philosophi, ex miris constat, & mira vnumquenq; in sui cognitionem rapiunt, quod est sapientiæ principium: horum nanq; auiditate allecti, ad perscrutãdas causas rerum se conuerterunt. Vnum tamen non est obliuioni tradendum, etiam fabulas quæ videntur commentitiæ in religione antiquorum vim sinceræ veritatis habere, dicente Plinio decimo sexto Naturalis historiæ, Smilacem infaustam esse in sacris omnibus, & coronis, quoniam sit lugubris, virgine eius nominis per amorem iuuenis Croci mutata in hunc fruticem: id vulgus ignorans plerunq; festa sua polluit, hederam existimando: huiusmodi autem fabularum, quæ comentitiæ sunt, amatores maximè videntur hi, in quorum genitura Luna dominatur cũ Mer-

curio infortunato, vt mathematici asserunt. Sed illud Ciceronis in tertio de Natura Deorum, cùm Zenonis, Cleanthis, Chrysippiq; philosophorum in reddenda ratione commentitiarum fabularum curam molestam ac minime necessariam narret, expostulare videtur, vt hæc eadem tela in eum retorqueamus, cùm hęc Ciceronis cura, de cura philosophorum, minimè sit necessaria: Nam in rebus omnibus, & maximè sacris, si velatarum rerum explicatio negligatur, plurima, quæ mystica sunt, ridicula putabuntur, & ne hac in re tempus teramus, satis erit hoc adduxisse, quod in libro Geneseos est, Et audiuit Adam vocem Dei deambulantis ad auram post meridiem: quod si, ita vt sonat, intelligatur, esset profectò ridendum. Sed hæc diuina ex sententia Thomæ necesse est aliquo humanitatis radio vestiantur, vt compræhendi possint, vnde maximam laudẽ Zeno, Cleanthes, & Chrysippus merentur, qui laborarunt, vt in lucem venirent quæ sub vestimento fabuloso latitarunt. Fabula igitur cùm multifariam accipiatur, inter medicos tamen in vna tantum significatione versatur. Prima enim Quarti Aui-

cenna,

cenna, ad somni conciliationem, leuationes vocum cum fabulis faciendis narrat. Et apud Suetonium in vita Augusti legitur, si interruptum somnum recuperare, vt euenit, non posset, lectoribus, aut fabulatoribus accersitis resumebat: fabulas ergò pro narrationibus siue fictis siue veris ponit: ac si diceret, locutiones, narrationes've, aut historiarum, aut aliarum rerum hoc efficiunt. Hoc autem non est leuiter pertranseundum, quandoquidem problema Aristotelicum inquirit, cur est quod ex fabulis alij resoluuntur in somnum, alij autem dormitantes excitantur. Plurimi enim vt somnum fugiant, legere incipiunt, & alij vigilantes cùm legere incipiunt dormitant, & vt de lectione, sic de auditione contingit: nam in Homilijs sæpe accidit, vt prædicātis oratio alios sopiat, excitet alios: huius autem tam diuersi affectus, audientium legentium've habitudo varia causam præstat. Alij enim sunt, qui cerebrum pituita humobúsq; crudis repletum habent, vel melancholicos ac frigidos, tam euaporationi quàm inflationi obnoxios, eodem in loco tenent, & tales viri sine stimulis cogitationum facilè vigilant: in vigilia autem

calor humanus foris versatur, & propter hanc causam, illos tam crudos, támq; frigidos vapores mouere non potest: nimis enim ab his distat, sed cùm legere aut audire fabulas incipiunt, motus in spiritibus, & in calore ventriculorum cerebri necessariò fiunt. Horum autem motuum, causa est ipsa cogitatio: ex illo igitur & spirituum & caloris cerebri congeminato calore, illius tam crudæ támq; frigidæ massæ fit quædam euaporatio, quam ob causam spiritus illi cerebri ventriculos obsidentes crassescunt: & crassitudo motum calorémq; ipsorum impedit, ita vt iam nequeant ad exteriora diuerti: quæ res vigiliam faceret, sed infrigidati intus remanent, & hoc dormitionis est causa: huiusmodi igitur naturæ viri, quorum cerebella talibus grauantur, reuocato ad interiora calore, quod somnum facit, ex lectione auditione've fabularum resoluuntur in somnum. Sed in alijs qui diuerso se habent modo, è contrario propter diuersitatem naturæ accidit, nam si auditor lector've fabularum aut librorum in cerebro habuerit materiam biliosam acutam, euaporationi idoneam atque aptam (cito enim labitur, quam cogitatio mouet

mouet) statim pulso ad exteriora calore vigilabit, & dormitans excitabitur: calor duplicatus in illis superioribus cruditate ac ineptitudine irretitus minimè valens foras prosilire somniculosum facit: & in his propter facilem agilémq; materiam, concitatus calor exteriora petens vigilem reddit, & hoc pacto pro diuersitate naturæ auditio aut lectio diuersa operatur. Præterea hæc varietas nascitur ex inæqualitate intellectuum: nam qui hebeti ingenio, crassáq; Minerua vtuntur, cùm quæ leguntur aut narrantur non intelligunt: & acutissimi quoq;, cùm etiam lecta aut audita non percipiunt, cum hebetioribus concordantes in hoc duntaxat, quia & ipsi quoque non intelligunt, obdormiscunt, nisi essent aliqui tardi, & non obtusi ingenij: nam de his alia ratio est, vt declarabimus. Causa autem huius dormitationis est, quoniam non intelligentes tristitia afficiuntur, & hæc infrigidat: hinc est quòd calor extrinsecus, vt subueniat infrigidationi intrinsecæ ad interiora decurrit, & huiusmodi dispositio somnum creat: ideo dormiendo melius concoquimus, calore ad interiora reuocato. Est etiam alia causa, nam in legen-

tibus & audientibus fit duplex motus, animæ ſcilicet & corporis, motus ſiquidem animæ eſt cogitatio, corporis verò motus eſt ex vaporibus & tenuibus humiditatibus per capitis portiones diffuſis, quæ mouentur curſitantibus ſpiritibus: curſitant autem in actu cogitationis. Cùm lector aut auditor ingenij obtuſi eſt, non habet ſpiritus ſuos in motu, quoniam eorum mobilitas hominem ſolertis ingenij effeciſſet: hoc autem accidit, quia motæ humiditates redduntur craſsiores, vt ſuprà diximus, vim ſpirituum irretientes, ac mollientes, vnde ſequitur quies, quietem autem & immobilitatem ſpirituum, aut morbus comitialis, aut attonitio, aut mors, aut ſomnus comitantur. Auditores verò & lectores ſolertes, intelligentes, lætantur, lætitia eſt cauſa vigiliæ & excitationis: lætantur nanque humana natura cùm habere intelligit, quæ ſibi conueniunt: conuenit enim naturæ humanæ, vigilatio: nam dormitio eſt quædã mors, hinc illud poëticum,

Dulcis et alta quies placidæq; ſimillima morti.

Accedit etiam ad hoc, quod in homine acutioris ingenij, motus cogitationis mouet ſpiritus, ac ſtimulat ita, vt acriter & ſæpe

sæpe excitet & roborat, adeo vt à vaporibus opprimi non poſsint, ſicuti accidit in hebetibus & obtuſis, in quibus ſpiritus irretiuntur. Sed quoniam de tardo mentionem fecimus, neceſſe eſt aliquid in medium adducamus. Continget aliquando vt lector auditor've non obtuſi aut hebetis ingenij, ſed tardi ſit, vt legitur de Catone: nam tarditas ingenij ſapientiæ adſcribitur, non enim ſtatim acquieſcit his quæ narrantur, & propterea non apprehendit. Is igitur qui tardo eſt ingenio, cùm audit aut legit non percipiens contriſtatur, ita enim natura porrigit, omnes enim homines natura ſcire deſiderant. Cùm igitur quæ natura deſiderat aſſequi non poteſt, doleat ac triſtetur neceſſe eſt, Sicuti omnibus in rebus deſideratis & non habitis euenit: Triſtatur ergo & non dormitat, imo auiditas ſciendi illam triſtitiam in ſtimulos quoſdam vigiliarum exacuit. Nã appetitus perfectionis (ſcientia enim perficit) animam magis ad vigiliam incitat, quia ſe beſtijs non præſtare, dedecus cum ignominia maximum eſſe ducit. Timor autem dedecoris & infamiæ acuit & inflammat, ita vt omnis inertia ſecordiáq; excludatur, vt ad ea, quæ

dudum percipere nequiuit, capeſcenda promptior paratúsq; fit, & talia hominibus tardis grauiſsimas curas ac ſolicitudines inijciunt: quæ non modo excitant, ſed aduerſos ac penitus alienos à ſomno homines reddunt. Triſtitia enim dupliciter in nobis operatur, ſi de præteritis eſt, ſoluit in ſomnum: ſi autem de futuris erit, excitat: timor enim ille qui triſtitiam creat, propter ignominiam aut infamiam futuram inſomnes penitus reddens, vt ſolertius caueant, efficit. Timere autem honoris amiſsionem, eſt actus prudentiæ: & hoc pacto vt diximus de tardis alia ratio fuit. Sed propter hæc quæ narrauimus fortaſsis nonnulli acclamabunt ſæpenumero cótigiſſe doctiſsimos acutiſsimósq; viros ex lectione aut auditione, non laſsitudine aliqua (nam hoc cuiq; contingere poteſt, vt defatigatus dormiat) ſed eorum natura fuiſſe in ſomnum reſolutos, quod verum eſſe fatemur. Sed hoc in ſapientibus & acutis duobus modis poteſt contingere, vel quia iam ad finem talem deuentum eſt, vt reliqua ex ſe pateant, & hoc modo calor ad interiora tendens, illos in ſomnum reſoluit. aut quia docti viri ingenium eiuſmodi eſt, vt etiam tota rei

mate

materia intellecta quosdam nodos secum iterum atq; iterum reuoluendo, omniáq; solertissimè contemplando defatigatum, multos ex spiritibus consumpsit. Acerrima enim mentis agitatio, & rerum arduarum discursus spiritum resoluit: resolutionem cuius quies cum somno sequitur: natura enim defatigata quieté quærit, vt eos quos amisit spiritus recuperet instaurationémq; faciat: dormitio enim quieta spirituum creatrix matérq; est. In his tamen omnibus ante narratis, & somnus & vigilia possunt contingere ex modis seruatis in lectione aut auditione fabularum: nam si semper eadem in fabulis, eodémq; tenore repetantur, nulli dubium est, vel tædium vnde dormitatio, vel risio ex qua vigilia in medium prosiliat necesse esse. Horatius,

–Malè si mandata loqueris
aut dormitabo aut ridebo,

nam in tali pronuntiatione, est quædam quies, quæ somnum imitatur, nisi agitatio irrisionis excutiat. Varietas enim fabularum & in ipsa pronuntiatione, & materię diuersitate, nec non in inflexione vocum & harmoniæ, aut soporandi aut excitandi vis est. Quæ enim ad risum aut miseri-

cord

cordiam aut ad iram inſeruntur, animum in diuerſa diſtrahũt: ita vt affectibus concitatis audiens aut lectitans neceſſariò vigilet, niſi diuturnitas laboris auida quietis, nimia reſolutione ſpirituum reſoluatur in ſomnum: ſed in audiente pro diuerſitate naturæ ſomnus aut vigilia naſcitur, cùm lectitans carminis labore, & vocum difficultate vigilet tantũ, niſi langore vincatur. Ex his igitur nouimus, lectione aut auditione fabularum pro habitudinis diuerſitate in hominibus diuerſa contingere. de his hactenus. Nunc ad illa me conuertam quæ poëtę narrarunt, fabulæ ſiquidem poëtarum aliquando meram ac nudam hiſtoriam ſine figmento referunt, vt de Ceneo & Iphide mutatis Ouidius loquitur, Plerunque naturalia inſerunt, vbi veritas ſimplex apponitur: vt idem xv. Metamorphoſeos,

Sitonio quicunq; ſitim de fonte leuauit
Vina fugit gaudetq; meris abſtemius vndis.

& de tineis agreſtibus & alijs hujuſmodi, vt ipſe & Virgilius in Georgicis factitarunt. Quædam verò ſub velamento tractantur, quæ hiſtoriæ faciem habentia, aliud ſub veſte occulunt: & inter cætera illud Martis & Veneris, indicio Solis in

adult

adulterio retibus Vulcani deprehensorum abstrusam mathesim continet: fuerunt nanq; ab omnibus conspecti, vt,

hæc fuit in toto notißima fabula cælo,

indicat: hæc igitur fabula ex intimis matheseos penetralibus originẽ trahit: nam adulterum, qui publica pœna plectitur, facit Martis Veneŕisq; coniunctio in tauro: & hæc est illa ficta concatenatio, ex tauro Venus in leonẽ mittit antisciũ, leo est Solis domicilium & signum igneum, & hinc Solis indicium & opera Vulcani quæ retia fecerũt. Vulcanus enim ignem significat, vnde coitus Martis & Veneris in tauro, vbi Luna exaltatur, amantium complexum effecit, quem poëtæ finxerunt: laqueus verò & retia sunt Veneris antiscia in signum igneum iacta, & huius adulterij index Sol: nam leo calidus antiscio Veneris inflammatus (simile enim simili additum facit furere) hoc adulterium publicauit: domus enim Solis, leo, qui cum de trigono igneo sit, Vulcanum retia machinantem sub figmento continet, & hoc pacto totius mali causa in Solem reijcitur: à domicilio enim eius deprehensio & publicatio adulterii manauerunt. Sed de Argo qui ob singularem

prud

prudentiam centum oculos habuisse traditur, fabula manifestam habet historiam: victus enim rex Argus, & occisus est à rege Mercurio qui Trismegistus, hoc est ter maximus dictus est: fuit enim summus philosophus, summúsq; sacerdos, & deniq; rex summus, Is enim Aegyptiorum ordo erat, vt ex philosophis sacerdotes, & ex sacerdotibus reges eligerent, & in his omnibus Trismegistus obtinuit principatum: & hinc ter maximus, vt Lactantij verbo vtamur, dictus est, sopitum dulcedine harmoniæ fabula refert, vt Trismegisti Mercurij vaframentis delinitū prius, postea occisum Argum ostendat. Sed antiquitas fabulamentis plurimùm oblectata est. Sunt enim res poëticæ, vt quædam pictura, teste Flacco,

vt Pictura poësis erit, &

-pictoribus atq; poëtis,

quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

In poëmate ergo fictio vt pictura potestatem habet, pictura autem teste philosopho in Politicis, inuenta est pro rudioribus. In poëmate sunt & sensa abstrusa, & facies picta, pictura rudibus excogitata est: nam in prælio multa hominum milia, vario cædis genere vir sapiens ex se con-

ieċtat:

iectat: qui rudis est, nisi hæc picta videat, non intelligit: vnde pictores & ruentes equos, & calcatos perfossósq; homines, & fugientes alios, alios verò insequẽtes cùm pingũt, rudibus satisfaciunt, qui hæc coniectare nequiuerant. Sed ex rebus fictis & pictis sensa elicere, hoc est sapientis opus: & ob hanc causam philosophos fabularum amatores testimonio Aristotelis prædicauimus: & hoc modo ars poëtica, & doctis & indoctis perutilis est.

De spiritibus & quare gaudium, aut timor repentè occidunt, & cur sanguis occisi coram occisore iterum fluit, De *Iunone significante poteſtates aërias, de Solis introitu in arietem.* CAP. XXII.

PERMVLTA in anterioribus narrata sunt de spiritibus corporis nostri, attamen qui sint huiusmodi spiritus, nondum declaratum est: ita vt auditor lectorúe incertior factus sit, cùm de fabularum varietate locuti sumus, quàm prius erat, non intellecta spirituum qualitate, vnde necesse est paulò altius sumere exordium. Spiritus siquidem prima significatione dicitur aër, & hinc est quod venti & auræ spirant, sed aër Græcè, à nostris dicitur

dicitur anima. Virgilius,

Quantum ignes animæq; valent,

cùm de follibus loquitur, quibus fit attracti aëris reciprocatio. Spiritus igitur & anima vnius sunt significationis, sed cùm longius euagamur, relicto nomine aëris, spiritum ac animam ad ea retorquemus, quæ corpus viuificant, & quæ per semetipsa sine corporis adminiculo aliquando stant, vt damnatorum aut beatorũ animæ sunt: & spiritus etiam quosdam, quibus magi vtuntur, nuncupamus, ita tamen, vt si de corpore nostro loquamur, animam nomine spiritus sæpe intelligamus, vt,

dum spiritus hos reget artus. veruntamen omnia hæc denique in vnum confunduntur. Tam diu enim hominem viuere scimus, quoad aëris, id est, spiritus sit reciprocatio: nam cùm spiramus & respiramus, viuimus: cum autem respiratio cessat, aut attonitio, & hæc ad triduum & non vlterius: aut morbus comitialis, & hic ad breue tempus se extendit: aut mors, quę perpetua est, cõsequetur. Tunc enim in homine facilè cessat respiratio, cùm ventriculos cerebri frigidior materia opplerit: quoniam negatur potestas spiritibus, quos animales dicimus, in neruos

muscul

musculósq; diffundi : hinc est quod motus sensúsq; non modò torpescunt sed penitus cessant, & præcipuè pectoris. Auicenna autem anhelitum non sublatum, sed oppressum autumat: horum autem causa, & attonitio, & comitialis, & animæ defectus, & stupor, & congelatio & alia huiusmodi incómoda oriuntur. Sed comitialis & attonitio morbi in nonnullis habent quandam germanitatem: vterque enim in ventriculis cerebri anterioribus fit, & eandem habet causam : nam vt plurimùm ex pituitæ repletione contingit, & vtriusq; accidentia eadem sunt, anhelitus enim & motus otiantur. Sed quantitas differre facit, nam in comitiali pauca, cùm in attonitione plurima sit, nam pauca pituita in comitiali breui consumitur, & sic cessat incommodum, cùm in attonitione permulta materia grauitatẽ mali faciens, vnde illud, apoplexiam fortem soluere est impossibile, aut enecat aut solutos hoc est paralyticos reddit. Sed vt ad rem nostram reuertamur, Spiritus est vapor sanguinis temperatus, vt quidam finiunt, quod non est ab re. Caliditas enim sanguinis videtur eum producere lucidum, aërium, clarum & temperatum : de

quo aliàs latius dicemus. Attractio enim aëris pulmonibus reciprocata, ſpiritus etiam animales, membra noſtra fouentes gignit: quoniam aër ille in huiuſmodi ſpiritus vertitur, quod ita eſſe Galenus v 1. de iuuamentis oſtendit his verbis. Dico quod aër, qui attrahitur à partibus cannæ pulmonis, primò ibi alteratur, deinde in corde, & venis pulſatilibus, & præcipuè in illis quæ ſunt in rete mirabili connexo ſub cerebro, poſtea alteratur alteratione perfecta in ipſo cerebro, ibíq; fit ſpiritus animalis, leuis, purus. Hactenus Galenus vel vt rectius loquamur, Galeni tranſlator: rete mirabile vocans, quod Latinitas craticulam cerebri nominat. Sed hac in re Auicenna à Galeno aliquantiſper diſſentit, aſſerẽs ex aëre duntaxat, non poſſe animalem ſpiritum gigni, ſicuti ex aqua tantum non poteſt fieri nutrimentum præſertim cùm Ariſtoteles de ſenſu & ſenſato Pythagoricos irrideat, opinantes odore ſolo poſſe hominem nutriri, vt de Democrito fertur, quoniam nutrientia oportet ſint compoſita, ſed Conciliator vir & acumine & diſciplinis excellens Galeno aſsiſtens, veram eius eſſe ſententiam confirmat, ita vt

vt aër tantummodo sine aliqua mistione spiritus fiat animalis. nam cùm ad craticulam cerebri defertur, vbi sunt perquam maximè tortuosi anfractus ex tunicis venarum, arteriarúmq; compacti: in quibus ingentissimus calor obuersatur, quo sanguis cum spiritu concoquitur, tanquam in fornace repurgatus, tenuitatem pariter claritatémq; adeptus, in spiritum vertitur animalem: huiusmodi igitur spiritus per omne corpus dispersi, per omnia membra diffusi ac vagantes, calidi, lucidi, aërij molem corpoream sustentantes, pro tempore & accidentibus, in nobis ipsis & augentur & minuuntur. Nam lassitudo in animantibus, non ob aliam causam est, nisi quia spiritus aërij molem sustentantes iam consumpti sunt, nec amplius fouere aut sustẽtare queunt, & sæpe accidit, vt bibitione, aut comestione, vel dormitione, aut quiete iterum creentur, corporáq; agiliora vegetioráq; reddant: ita vt præteritorum laborum oblita, rursus ad laborem redeant, adeóq; subleuant, vt pleriq; experimento cognorint, viuum animal mortuo longè leuius esse: nam viuus porcus, minus quàm idẽ mortuus stateram grauat: quia in mortuo

ſpiritus conſumpti, nihil iuuamenti ad ſubleuandum præſtant, cùm in viuo è contrario accidat: ſpiritus enim aërij, leues, ſurſum à natura tendentes, quæ terrena ſunt, leuiora faciunt, & his eiſdem conſumptis, neceſſariũ eſt deorſum ferri, pondúsq; augeri: ex qua quidem ratione, illud etiam conſequens eſt, hominem cibo potúq; refectum ieiuno & famelico iumentis in vehendo eſſe leuiorem, cùm è conuerſo accidere deberet, propter eſculenti poculentique pondus additum, veruntamen ſi quis vſq; ad ſatietatem repletus equitaret, quoniam hoc ſpiritus obruit, iumenta grauaret magis, nam in nobiſmetipſis cotidie hoc experimur: vt comeſſabundi & ebrioſi vix ambulare poſsimus, obrutis ſpiritibus, qui nos ſubleuant, agilioréſq; reddunt. Sed hi ſpiritus corporis noſtri, ad omne humanum obſequium præſto ſunt, ita vt non modo nutriant, ſed incommoda plurima interdum adducant: nam cùm ſurſum deorſúmq; curſitent, & nonnunquam intrò, plerunq; foras proſiliant, & ſalutis & perditionis ſæpe cauſam præſtãt. Cùm enim repentinum, & maximum gaudium ſeſe ex improuiſo offert, cũcti ad rem lætam,

cum

cum de natura ſui calidi, lucidi, hilaréſq; ſint, tanquam ad rem eis ſimilem turmatim ruunt, tanta plerunq; frequentia, vt corpus vacuum, deinde mortuum relinquant, ſicuti accidit illi mulieri, quæ de filio ad lacum Traſymenum occiſo non verè audierat, quo ex improuiſo comparente, mater ſubita morte interijt, vt refert Liuius. Tunc enim omnes ſpiritus, quos animales dicimus, ad lætitiam volantes effœtum & inanime corpus reliquerunt. Et hoc modo etiam in maximis timoribus, ſed alia via accidit, nam multi nimio timore oppreſsi, vitam exhalarunt: huius autem rei ijdem ſpiritus cauſam præbent, quoniam animales, vt diximus, ſpiritus noſtris incommodis ſummopere ſubuenire nituntur: vnde in re formidoloſa, ad cor, tanquam vitæ noſtræ arcem, vt ſubueniant, curſitant, ne tanto in periculo deficiat: & quia ex nimia feſtinatione tumultuosè & temerariè, nullo nec ordine nec modo ſeruato ruunt, cor petentes ſuffocant, & hinc ſubita mors oritur: & hac via, & gaudium immenſum, & timor maximus, ſubita ac repentina morte perimunt. In timore propter temerarium confusúmq; concurſum cor ſuffo-

cantes, & in gaudio ad rem similem exeuntes effœtū corpus relinquentes, mortis causam præstiterunt. His igitur declaratis, reliquum est, vt rationem ac causam exquiramus, vnde fit, cùm homo occisus est, cuius sanguis refrixit, ac fluere desijt, comparente occisore rursus fluat: quod sæpe contigit, & nos quoq; plerunq; oculis vidimus, & Græcia de Patroclo hoc idem ait, Hectore homicida comparente. Sed hoc intra spatium decem aut duodecim horarum vt plurimùm contingit, rarissimè vlterius se extendit. Nonnulli ex occisoris, & quidam ex occisi spiritibus hoc accidere arbitrantur, quod absonum est: nam ad sanguinis iam frigefacti motum, non vna pars spirituum satis est, sed vtraq; concurrit. Cùm enim occisor furore ductus, hominem aggreditur, cūcti spiritus qui sui sunt, opus iuuantes in occidendum conuolant, sicuti de more eorum est: Itidémq; hominis trucidandi in occisorem tendunt, quo ira corporis sui prosilit, ita vt in occisorem volent, ibiq; viuant. Cùm ille occisus est, sanguis iam frigefactus fluere desijt: Sed comparente occisore, spiritus vtriusq; diuerso motu agitantur: quilibet suum corpus repetens

petens motum facit, vnde & hominis occisi spiritus redeuntes, sedémq; suam repetentes, & occisoris recedentes, vt ad corpus redeant, faciunt motum eius rei quam habitant (habitant autem sanguinem) & hoc pacto sanguis iam frigidior & ad fluxum ineptus, ab occisoris & occisi spiritibus, vi multiplicata agitatus rursus fluitat: éstque illis tantus proprij corporis affectus, vt plerunq; latitantem hominem, sed proximè existentem, intra tempus quod asignauimus (tot enim horis viuunt) recognouerint, ac repetiuerint: hoc autem non in omnibus occisis, sed in plerisq; euenit, quoniam quorundam natura ita debilis est, vt eorum spiritus vno momento conflaccescant. Necesse ergo est, corpora, vbi hæc fieri debent, sint calidiora, quoniam calore spiritus conseruantur. Sed spiritus aërij, quos nomine Iunonis veneratur antiquitas, sunt vitæ per se, & damnati secundum Christianitatem mediam incolentes aëris regionem, quæ tenebrosa & frigida est, superior enim aëris pars igne, inferior verò reflexione radiorum Solis calescit & illustratur. Media igitur cùm à neutro horum attingatur luce caloréque caret,

& hanc esse spirituum sedem asserunt: quos Apuleius ita diffinit Augustino teste. Dæmones sunt genere animalia, corpore aëria, mente rationalia, animo passiua, tempore æterna, sed horum dæmonum ministerio magia vtitur: nam cùm corpus habeant aërium & sint immortales, summam in disciplinis possunt habere excellentiam, huiusmodi enim prærogatiuæ illos perficiunt, nos verò mole corporea, hebetibúsq; sensibus grauati, & angustia temporis conclusi, eorum comparatione parum scire possumus: vnde est, quod ipsi medicinam & astrologiam, cæterásq; artes exactissimè tenent, & vt alia omittam, ex Astrologia & præterita & præsentia & futura cognoscunt, vim & motum astrorum acutissimè callentes, possúntq; euenta sine aliqua hæsitatione prædicere: nam cùm sit opus in hac disciplina quosdam motus maximo annorum numero obseruare, sine quibus ars manca est, dæmones æterni tempore, omnia iterum atq; iterum videre, & hinc initium anni sine titubatione percipere potuerunt. Tunc enim anni principium est, cùm primam arietis minutiam Sol ingreditur, quod est annuæ prænuntiationis

tionis fundamentum: quo incognito anni natiuitas, & quæ hanc ſequuntur conflacceſcunt. Nobis verò & multis retro ſeculis incognitum eſt. Quanti autẽ momenti verum anni initium in prænuntiatione futurorum ſit, nemo mathematicus ignorat, Præterea cùm dies (dies nũc accipio diei & noctis tẽpus) ſint inæquales, alius nanq; quatuor & viginti æquinoctiales, alius verò ſupra, alius verò infra horas ſe extendit, quoniam ſigniferi partes, non adæquantur in ortu & occaſu partibus æquinoctialis, & ex hac diuerſitate inter ſummos mathematicos controuerſia naſcitur, quam nos ſumma cum difficultate & longi temporis obſeruatione vix diſſoluere poſſumus: cùm dæmones ſine difficultate diſcernant, iudicéntq; Almeonis ne an Ptolemæi prioris vera ſit ſententia: ille enim ſigniferum ab æquinoctiali trium ac viginti partium, triúmq; & triginta minutiarum ſpatio declinare aſſerit: hic autem in partibus conuenit, in minutijs verò diſſentit: dicit enim vnam & quinquaginta eſſe minutias: diſcrepant igitur in duo deuiginti minutijs, quæ res profectò non parui momenti eſt. Sed quidam iuniores cum

vtroq; in partibus conueniunt, cum Almeone tamen tribus duntaxat minutijs disſidentes: triginta aiunt eſſe minutias: accedit ad hoc, quòd decima pars arietis, qui eſt decanus Martis, ab æquinoctiali, vt autor eſt Ptolemæus, partibus quatuor minutijsq́; duabus declinat, cùm Almeon hanc decani arietini ab æquatore, hoc eſt æquinoctiali declinationem tres partes, quinquagintáq; minutias habere referat. Hæc igitur & alia turbant doctorum hominum mentem, ita vt neſciant quo ſe vertant. Nam illa ſigniferi ab æquatore declinatio, ſi trium & viginti partium & quadraginta minutiarum eſſet, vt quidam acuti viri aſſerunt, doctrina æquationis dierum, qua ſine aſtrologia debilis eſt, certitudinem contineret. Sed ignorato Solis motu, hoc eſt, veritate non cognita, propter autorum diſcordiam, ſtatim æquationis dierum cognitio corruet: huic nanque rei cognitio Solaris motus præuia eſt, ſed dæmones, tam corporis agilitate quàm diuturnitate temporis adiuti (ſunt enim immortales) omnia rectiſſimè callent, prȩſertim cùm beatus Thomas, & acutiſsimus Scotus his ex peccato non naturæ, ſed gratiæ, bona adempta

affirm

affirment: ſciunt enim, vt prius, priuati tamen diuina fruitione, donisq; gratiæ. Magorum doctrina aliter quàm Chriſtianitas dęmones taxat: dicit enim orientales occidentalésq; ſpiritus optimos eſſe de ſui natura, nec niſi vi ad operationem mali coguntur: apparéntq; in pulcherrima forma, ita vt eos putemus, quos fides Dei miniſtros narrat. Sed ſeptentrionales meridionalésq; in turpiſsima forma apparentes, vt eos criminatores dicere poſſimus, de natura ſui peſsimi, nunquam niſi coacti bonum operantur: & vt illi pulchritudine ſui nos oblectant, ita hi & nigredine, & capitibus & hominum & brutorum & mortuorum plerunq; terrificant. dæmonium autem meridianum, cùm ab incurſu & dæmonio meridiano Dauid pſalmographus ſibi pręcauendum petat, quale ſcit facilè intelligitur. Et huiuſmodi ſpiritus olim affabiliores fuere ex planetarum coniunctionibus, & iterum atq; iterum erunt, cùm coniunctiones maximè ferent. Sed hi dæmones, more Chriſtiano, an ſint in inferno, audiatur Auguſtinus in libro Retractationum ſic dicens de inferis, Magis mihi videtur docere debuiſſe quòd ſub terris ſunt, quàm

quòd

quòd rationem redderem, cur ſub terris eſſe dicantur, quaſi non ita ſit. hoc autem Auguſtini dictum, ambiguè poſitum eſt, ſed magi vt diximus, in media aëris regione locant, qui cùm in tenebris eſſe noſcantur (vt ſuprà innuimus) lumine gaudent: ideo in magicis candelæ accenſæ in frequentiſsimo vſu habentur: eos autem eſſe animo paſsiuos, vt Apuleij definitio narrat, nihil profectò eſt aliud dicere quàm amore, gaudio, odio, triſtitia, deſiderio, tedio, ſpe, deſperatione, miſericordia, audacia, timore, abhominatione, ira, furore, inuidia, zelotypiáq;, & alijs huiuſmodi affectibus capi: hæc enim ſunt animi paſsiones: nõ igitur mirum ſi poëtica facundia Iunonem, quam huiuſcemodi vitas ſignificare aſſeruimus, iratam ac triſtem, alijsq; perturbationibus obnoxiam deſcribit: nam in primo Aeneidos: Virgilius plurimos ex ijs Iunoni, id eſt, vitis & poteſtatibus aërijs tribuit:

Cùm Iuno æternũ ſeruans ſub pectore vulnus,
Hæc ſecum: mé ne incœpto deſiſtere victam?
Nec poſſe Italia Teucrorum auertere regem?

& reliqua, Sed hæ paſsiones & maximè inuidia qua torquentur, indicant eorum malitiam: nam ab optimis longe religata

inuid

inuidia est, vt ait Plato in Timæo, Spiritus autem huiusmodi astris subiacent, vt suprà innuimus, non nisi statutis horis planetarum, alijsq́; sideralibus obseruatis inter cætera veniunt, pro hominum vrbiúmq, fato, aut inimicantur aut propitij sunt. Romanis enim vsq; ad bellum Punicum secundum Iunonem, id est aërias potestates, infensam fuisse, postea sententiam mutasse, sacra Romana & historiæ protestantur, Sed cùm priorem Ptolemæum allegauisse meminerim, iudicaui optimum factu Iulij Seueriani viri in vtraq; lingua disertissimi verba referre, ait enim in astrologia sua: diuersorum quidem sunt scripta volumina, inter quos etiam Ptolemæus apud Græcos præcipuus habetur, qui de hac re duos codices edidit, quorum vnum minorem, alterum maiorem vocant: hactenus Seuerianus. Sed Iulius Firmicus posteriorem Ptolemæum attestatur, vt quasi minorem intelligat, & ipse Ptolemæum in libro Fructuum, quē iuniores centiloquium nuncupant, de duobus duntaxat videtur voluminibus loqui, in procemio: vnde necesse est, quod quadripartitum dixerunt, cum libro Fructuū, quum iuniores cen-

tilo-

tiloquium dixerũt inuicem numeremus: vterq; enim ad Syrum dirigitur, ita vt ex quatuor illis tractatibus, hi & fructuosi quidem aphorismi originem traxerint, vnum tamen non omittendum reor in Ptolemæo sæpe signorum partes, & nonnunquam gradus dici, quod & Punici autores imitantur, cum Latinitas partes frequentius nominet, & quia per gradus ascenditur, ideo ascensiones signorum Pœni à gradibus sumpta trãslatione, partes etiam horoscopantes nuncuparunt.

De numero, si aliquid operatur per se, & de erroribus Pythagoricorum *& transcendentibus, & de hac dictione* Nihil.

CAP. XXIII.



RATIO quædam me non attraxit inuitum, sed volentem adduxit, vt de numero aliquid in medium referam, matheseos enim materia, de qua nuper paucula quædam tetigimus, maximè numero vtitur, & Vergilius cùm ait:

Nauita tum stellis numeros & nomina fecit.

numerum nomini antepofuit, vt rem in natura ordine efficaciáq; primariam. Verisimile enim est, vt in Arithmetica Boëtius testatur, Deũ cùm vniuersum creare

intend

intenderet,animo prius agitasse,quot numero facturus esset: hinc & elementa quatuor, & errones septem, & reliqua præfiniuisse antequàm rem ipsam aggrederetur, sic enim sapientisimum architectum decebat: & Pythagorici numero omnia constare arbitrati sunt, quorum opinio ita inoleuit, vt cùm consumatæ perfectionis aliquid factũ putaretur, numero constare crederetur: ita vt Occasionem,quam Deam Ausonius Gallus lepidisimè describit,numeri nomine veteres intelligerent:hinc est illud Actij poëtæ, numero te expurgasti: & illud etiam, ne istum numerum amittas subitò oblatum. Sed Pythagoricos deceptos aiunt Peripatetici, quia discernere nesciuerunt vnum,vt est principium numeri: ab vno quod conuertitur cum eo, quod est: pro quo necesse est, vt ab alto principium capiamus,non sine præfatione carminis,

Sicelides musæ paulò maiora canamus,

in qua re admouere vocabula quædam oportebit aptè formata tametsi non sapiant antiquitatem: & hoc Ciceronis exemplo, qui ait: beatitudo seu beatitas, vtrunque asperum est, sed vsu reddemus molliora. Sex numero sunt transcenden-

tia

tia à iunioribus vocitata ita ampla, vt omnia in se contineant & inter se inuicem cedant, vt bonum, verum, vnum, res,aliquid, ens,sed hæc appellatio nuper emersit: Boëtius enim loco entis, quod est, dicit: iuniores vt Græca imitatione breuius loquerentur, ens à secunda persona verbi substantiui n, litera interposita, siue ram in ens mutata ens à sum es est fecerunt. Sub istis igitur sex sibi ipsis inuicem cedentibus omnia sunt comprehensa ita vt in vnum relabantur. Nam quicquid est, tandiu dicitur esse, quàm diu est vnum, homo eò vsque homo est, quoad animæ corporisq; nexus vnum hoc continet: cùm autem separatio fit vt seorsum anima à corpore secernatur, quia non amplius vnum est, homo esse desinit,& rursus corpus tam diu est,quoad caput, manus, pedes & reliqua in vnitate se continent: his dissolutis vnitas deest,& esse desinit: non enim amplius corpus hominis est:& si nasus, aures,oculi & alia quæ caput faciunt soluantur, nomen capitis amittit,vnum nanq; esse desijt:harum enim partium, catena caput constituens vnitas erat, & sic de cæteris dicendum est: & vt ab eo quod primo dixeramus

ramus non recedamus, omne quod est, tandiu suam essentiam habet, quàm diu vnitate ligatur: sic argumentabimur si vnum est, ens quoq; est: vnitas enim, vt iam diximus, efficit vt ens sit. Rursus ens est, ergo bonum est, omnia enim esse appetunt, & non nisi bonum appetitur: nam philosophus ait Bonum quod omnia appetunt. Qui igitur vnum appetit, ens appetit, & qui ens cupit bonum cupit: quoniam omnia esse appetunt, & illa eadem bonum. Bonum igitur cum ente conuertitur, & ens ideo est quia vnum, illa omnia vnum desiderant: igitur vnum, ens, bonum idem sunt: nam si ens non esset, bonum non appeteretur, quandoquidem bonum est quod omnia appetũt: ens ideo est quia vnum: omnia igitur vnum exoptant: ens est aliquid, aliquid autem est vnum, quicquid enim est, ideo est, quia vnum existit, (vt diximus) aliquid ergo omnia desiderant: nam bonum, vnum, ens exoptantia aliquid appetunt: & hæc eadem ratio de re erit. Res aliquid est, aliquid verò est ens, sed ens est bonum & vnum: Res igitur horum societate includitur. Sed testimonio Aristotelis nihil scitur nisi verum, verum est ens, alioquin

nihil esset, & hoc modo nequaquam sciretur, quoniam quod non est, nihil est, & id quod scitur aliquid est, ens ergo est, & per consequens verum. Nihil enim scitur, vt dictum iam est, nisi verum, & si verum est, bonum est: nam ens est, ens autem & bonum conuertuntur, vnde Horatius in epistolis,

Metiri se quemq; suo modulo ac pede verũ est.

Nam nisi verum vt transcendens pro bono acceperis, Horatij Flacci sentẽtia corruet: pauci admodum sunt qui seipsos cognoscant: sed hoc facere est bonum, hæc volui dixisse propter Pythagoricos, qui à Peripateticis creduntur errasse, quoniam vnum vt est numeri principium, idem esse cum eo vno, quod cum ente conuertitur, opinati sunt: Nam sicut vnitas addita numerum variat, aliúmq; efficit, ita vt ens ei numero additum id efficeret, vt omnia vno constarent, vnitas enim binario addita ternarium facit, ita vt vnitas diuersum faciens numerum loco entis, quo omnia constant, crederetur: & hoc modo à veritate recessisse putantur: non enim omnia vno, vt est numeri principium, sed vno vt ens est, constant. Sed si daretur otium, profectò ostenderem Pythagori-

cos

eos non ita delirasse, vt Peripatetici cauillantur. Sed dicerent nonnulli acutiores, cùm nihil sciatur nisi verum, quid sibi vult hic sermo, qui frequentissimus etiam apud peritos est, Nihil scis, nihil didicisti? vt Persium adducamus,

Scire tuũ nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.

& Ouidius ait,

Ingenium quondam fuerat preciosius auro.
At nunc barbaria est grandis habere nihil,

habere nanq; possessionis est, & nihil priuationis: ita vt hæc inter se pugnent: horum igitur gratia pauca quædam subijciemus. Nihil siue nihilum, dictio est totius naturæ priuationem ingerens, nullius substantiæ existens: affert enim secum omnium substantiarum in natura priuatiuam significationem, sed de se ipso nec per se minimè substantialiter, vt ita loquar, dici potest: nam germanitate quadam cum tenebris & silentio iungitur: Tenebræ nanq; lucis, & silentium vocis absentia sunt. Nihil igitur & nihilum totius substantiæ absentiã demonstrat, quoniam si fiat quæstio quid est illud quod non est, oritur contradictio, ita vt sit & non sit, quod facilè dissoluitur. Nihil siue nihilum est, quia nomine duntaxat non

re est, caret enim substantia, & nihil est totius substãtiæ absentia, vt iam diximus. Iam igitur patet illud, At nunc barbaria est grandis habere nihil, hoc est totius substantiæ absentiam possidere, & hoc summam facit paupertatem, quæ ægestas dicitur, cuius famem tam horrendam putauit antiquitas, vt in faucibus orci Vergilius eam locet, cum ait,

—& turpis ægestas, Sed nihilum ex dictione negatiua & hilo componitur: vbi non possum non irridere Festum Pompeium, qui ait, hilum putant esse quod grano fabæ adhæret ex quo nihil & nihilum. Nonius autem Marcellus inquit, hilum breue quiddam. Lucilius:

Quod tua laudes & culpes nõ proficis hilum.

Cicero primo Tusculanarum quæstionum. Tum illud quod Sisyphus versat saxum sudans nitẽdo nec proficit hilum, & hoc sermone Nonius ostendit se ignorasse quid sit. Nihilum vt dictum est, ex dictione priuatiua & hilo componitur, sed in allegationibus poëtarum, negatio & hilum seorsum gratia metri ponuntur. Nos autem suprà ex nihilo totius substantiæ in natura priuationem innui monuimus, nam hilum ab hyle fit, hoc est materia

ria prima quam chaos vocauit Græcitas, vt in libro de incognitis vulgo latissimè tractauimus: hylen Latinitas teste Chalcidio in Timæum Platonis vocat syluam aspiratione in s, mutata vt sæpe fit, hepta septem, herpillum serpillum facit, litera autem duplicata more iuniorum est, quoniam vetustas eandem consonantem non duplicabat: & hoc modo hylum nec per illud quod fabæ adhæret, nec per breue quiddam rectè iudicatur: quoniam nihilum totius substantiæ absentiam mõstrat, & materia prima actu nihil, sed potentia est omne, vt in libro allegato manifestissimè declaratur. His igitur pertractatis, illuc vnde discesseram redeo. Affirmamus numerum in rebus nonnihil operari præter eorum opinionem, qui medicamentorum pondere & qualitate seruatis vim nullam, non dicam in forma (quia nemo tam rudis est qui hoc sentiat) sed in numero esse blaterant: hos enim experientia deliros esse conuincit. Catapotia enim numero impari exhibita paribus efficacius operantur, etiam ponderis & materiæ æqualitate seruata: nam ex eadem mixtura octo aut septem præbeas magni refert: numerus hoc & non pon-

dus materiæ præſtat, quandoquidem in vtroq; æqualitatem poſuimus, & propter numeri diuerſum effectum philoſophi parem numerum fœminam, imparem verò maſculum eſſe aiunt: experimento enim nouerunt ad agẽdum aptiorem (vt maſculinum ſexum decet eſſe) pari, ideo par fœmina vt materia, impar maſculus vt forma ſeſe in rebus exhibent: vnde cùm ſummum conatũ, vltra quem tranſire non licet, volumus exprimere, numero impari peractum narramus, vt illud,

Ter feſſus valle reſedit, & iterum,

Ter conatus eram collo dare brachia circum,

Ter fruſtra comprenſa manus effugit imago.

In huiuſmodi numero vis cum numero pari debilitas mali ominis ſit, vt,

-ſonitum quater arma dedere. Numerus nanq; par diuidenti facilè cedit, ita vt quatuor in bis duo ſine labore abeat, nihil enim impedit. At imparem numero nullus profectò ſecabit in partes æquales: in ſuperiori pax & concordia eſt, partes enim pares iuſtitiam imitantes concorditer agunt. In numero impari, quia vnus intercidit linearem longitudinem, vt ait Boëtius, non poteſt eſſe concors diuiſio. Nam quatuor in bis duo, linea interpoſita,

sita, in partes æquales secat. In tribus autem lineam termini fugat vnitas intercidens: hinc est quòd paria numero catapotia concorditer agent per se ipsa nullo stimulante, at si numero impari exhibita fuerint, medius intercidēs latera exasperat, nec in pace aut quiete esse permittit: & ob hanc causam acrius vehementiúsq; operabūtur. Simile est hoc amicitiæ, quæ secundum philosophos inter tres nunquam esse potest: nam tertius sese opponit ne ea, quam vis amicitiæ expostulat, consummata animorum coniunctio fiat: & ob hanc causam Dionysius tyrannus irridetur, qui cognita Damonis & Phintiæ amicitia, se tertium inter eos amicum annumerari petiuit. In catapotijs, quæ vulgus ob formam paruarum pilarum pilulas nuncupat, numerus impar quietem minime adeptus vehementius aget, quàm qui otiatur ac torpescit: nam cùm sit pari numero efficacior, calcar medicaminibus addit à forma sua operans: hoc autem esse verum & ratio & religiones ostendunt. Aristoteles enim, in primo de Cœlo & mundo multum numero impari tribuit: & magici & religio numerum ternarium in frequentissimo vsu habue-

runt & habent: vnde illud Virgilianum, *-numero Deus impare gaudet:* nam cum ipſe ſummæ actionis ſit (eſt enim Deus) purus actus ſimilitudine capitur, hæc eſt enim cauſa dilectionis, vt teſtatur philoſophus: & numerus impar maſculus & actiuus eſt, vnde Pallas ſeptenarium Cybele cubum ſibi vendicauit.

De Imaginibus Aſtrologicè impreßis ad curandos morbos. CAP. XXIIII.



N hac re tam ardua támque perplexa, quam tractaturus ſum, opem magnifici Laurentij implorẽ neceſſe eſt. Ipſius enim medicamine ſubleuatus id aggrediar, quod dictu difficilimum ad perſuadendum eſt: nam quod de numero poſitum eſt, ex vſu in medicina freqũeti non videtur omnino abſonum: hoc autem raritas incredibile efficit, Laurentij ergo opem peto, nam cùm ipſe ex illa Mediceorum familia fautor atque adiutor ex animi iudicio ſtudioſorũ ſit, doctus enim doctos colit, eóſq, veneratione dignos & prædicat & efficit: cùm vnumquenq; ad certiſsima doctrinæ munera ſua liberalitate propensáq; beneuolẽtia inuitat, ſecundum illud Ciceronis, honos alit artes, omnés

omnésq; accenduntur ad ſtudia gloriæ, Iacéntq; ea quæ apud quoſq; improbantur. Cùm igitur apud animorum & ingeniorum Medicem Laurentium, ſapientia pariter, & vſu plurimarum rerum, geſtisq; præclaris & doctrina conſpicuum, magnificentia opibúsq; pollentem, honor & gloria non ſine præmio doctis paretur: bonarum artium ſtudioſi omnes laborum diſciplinarúmq; pro eorum menſura præmia affectantes, animantur profectò & accenduntur ad omnia, quæ cognitu difficilia & vtilia honeſtáq; ſunt, capeſcenda, Grauiſsimum enim eſt homini erudito, cùm quæ acutiſsimè excogitauit, imperitum iudicem ſortiuntur, vnde omnibus doctis lætandum reor in hæc tempora incidiſſe, quæ magnificum Laurentium virum doctiſsimum & nullius bonæ artis expertem produxerunt, qui & dijudicare rectiſsimè, & iudicata decenti fauore proſequi valet: diuitijs enim ſummis regibus non modo æquari, ſed anteferri meritò poteſt: maximas enim & antiquiſsimas diuitias paruo impendio, quod regibus nequaquam contigit, & habet, & poſsidet: cum illi exercitibus bellicisq; negotijs & hijs, quæ luxus

regios absumunt, vix pares prouentus colligant: de his satis, de ipsa re dicere agrediar. Apud nonnullos philosophos ac theologos ars conficiendarum imaginum quibus morbi curantur, vana ac fluxa putatur: Nam imago leonis in auro impressa, cùm Sol tuberonem, hoc est, cor signi leonis obtinet, cæteris etiam animaduersis, dolori renum subuenit, vt mathematici asserunt, & experientia, hoc est, ex vsu nata doctrina, confirmat: & sicuti de hac imagine nunc loquor, ita de cæteris censendum est, plurimæ enim sunt tales imagines astrologicè formatæ, materia temporéq; differentes, quę morbos & ancipites quidem sua potestate ac vi aut fugant, aut leniunt, aut curãt: quod quibusdam impossibile apparet deceptis cauillatione argumentorum, quæ huiusmodi sunt. Aurum ex sui proprietate renes non sanat, & imago in hac materia impressa siue sculpta, quæ muta inanisq; est, aurum alterare non potest, ita vt alterius naturæ efficiatur: quoniam in imaginibus nec actionis nec passionis huiusmodi vis inest, nam si imago leonis aurum cœlestis influentiæ capax redderetur vt asserunt, aliquid profectò ageret: dispo

dispositio enim actio quædam est. Præterea si hæc figura tantum & non alia operatur, virtus illa sanandi in leonis figura & non in cœlo esse iudicaretur, quod esset ridiculum. Quid enim res illa inanis ac muta omnis expers actionis posset operari, vt ei cœlum obsequeretur? dictitant. Accedit ad hoc, vt ipsi aiunt, quod aurum siue figuratũ siue non eiusdem speciei dignoscitur, & hoc pacto cœlestis influentia eodem modo, & hoc & illud inspicit: nam si cœlestis vis signatum magis quàm informe aurum virtute ornaret, videretur electione quadam & non necessitate naturæ id euenire, quod etiam perabsurdum est: nam si aspectibus syderum cœlestium huiusmodi esset electio, eadem res in quacunq; materia posset inueniri: sed ea vis non nisi in auro leonina imagine formato reperitur: naturalem igitur auri proprietatem omni electione exclusa sequitur, quam imago impressa, vt dictum est, minimè mutat. Vis enim imaginum speciem non transformat in speciem: quoniam impossibile est. Addunt etiam, si figura huius est potentiæ, vt renes sanat, appareret huiusmodi imaginem in ære vel in alia mate-

ria renibus conuenienti rectius quàm in auro imprimi: vt illa cœlestis vis materiæ quoq; auxilio adiuta efficacius agat opúsq; patret. Adhuc etiam argumentantur hoc modo, hæc virtus sculpturæ attributa nec videtur naturalis: quoniam ab intrinseco non prouenit, nec artificiosa, quoniam artifex non tanti momenti ac potentiæ est, vt hanc quam retulimus virtutem, tribuat, nisi de Deo intelligas. Hactenus cauillationes garriētium, cum multis alijs, quæ risu digna sunt, militarunt. Quæ omnia vt pueriliter obiecta refutabimus: facilè enim est veritatem tueri. Nam vna narratione, quæ superius per cauillum dictata sunt, corruent: non enim in hac re mutatio speciei requiritur, nec proprietas auri immutatur, nec vlla cœlorum electio interuenit, nec ab artifice vis illa sanandi datur, nec imago, vt imago, quicquam efficit, nec in alia materia, aut in ære impressa hæc imago renibus conueniret magis: nam aurum Solis metallum & non æs, quod Veneris est, expostulant, quia in hac figuratione omnia sunt Solaria. Leo nanq; Solis domicilium & aurum sub eodē planeta esse suprà docuimus, ita vt nulla aut agendi

aut

aut patiendi in ipsa imagine sit facultas: nihil enim horum quæ antè dicta sunt ad huiusmodi rem requiritur. Sed alia ratio est, quæ omnia hæc diluit. Figura leonis sub constellatione seruatis horis impressa, non agit: sed principium actionis ac passionis affert, vt beatus Thomas, Magnúsq; Albertus testantur: non vt figura & imago mathematicè animaduersa, sed vt efficit aliam atq; aliam in re figurata præparationem, quæ cœlestem actionem sine difficultate varijs modis accipiat: quoniam si canis, aut equi, aut alterius animalis imago in aurea materia imprimatur, non erit ea materiæ dispositio, quæ leoninam imaginem comitatur: Leo nanque densam grandémq; iubam, caudâmq; longissimam, & cætera membra dissimilia alijs animantibus habet, sicuti quiuis & ventrem & os, & aures, pedésq; eius contemplans dijudicat: ea propter in figuratione aliarum imaginum non seruaretur id quod est necessarium ad vim illam cœlestem imbibēdam: Bractea enim aurea alibi densa, alibi rara, alióq; in loco inter rarum & densum media expostulatur, vt cœlitus vim descendētem excipiat. Collum enim canis, cùm

sine

ſine iuba ſit, dĕſius aurum haberet quàm leonis. Iuba nanq; formata cùm in illa impreſſura profundius inſederit, neceſſe eſt aurum eo in loco rarius eſſe. Sic etiam in cæteris membris diuerſitas varietáſq; continget: vnde concludimus, quòd hæc aptitudo ad vim cœleſtem hauriendam in figura eſt, non vt figura, ſed vt denſius rarius've aurum imaginis cōditione formatur: nam & in ſpeculis figuræ varietas maximam differētiam affert. Concauum enim à gibbo ſpeculo quantū diſtet etiam aniculæ norunt: nec illa concauitas, vt concauitas eſt: ſed vt alio atq; alio modo materiam figurando diſponit, reddendis imaginibus ſpeculū diſsimile efficit, nec ibi quoq; vlla ſpeciei mutatio eſt. Similiter in orbe terrarum mōtes valléſq; ſunt eodem elemento conſtantes, tamen eorum forma ad frigiditatē caliditatem've aptiores reddit: ſicut in ſpeculo concauo Sol cōburit, in gibbo autem nequaquam id operatur: forma igitur & imago, non vt forma imagóq, eſt, ſed vt alio modo accommodat, varietatem in rebus adducit: ferrum acutum penetrat, hebes & obtuſum non penetrat. Imago enim diſpoſitiones varians hoc præſtat: non enim

acies,

acies, aut hebetudo, sed vt ferrum varietate disponitur, harum rerum causam præbet. Sed in rebus cotidianis experimur eiusdem rei substantia ac specie manentibus virtutem mutari. Magnes enim allio perunctus non attrahit ferrum, qui si vino lauetur, attrahendi ferri vim potestatémq; recuperat: minima igitur res aptum ineptum've ad huiuscemodi operationem magnetem præparat: adducerem aquæ exemplum, nisi notum esset cum calida frigida've eandem sequatur speciem & diuersa efficiat, feruens enim coquit, frigida verò minimè. Requiritur ergo in vnius & eiusdem speciei rebus certum culturæ temperamentum, vt varietur effectus: Terra enim inculta, & quæ semper aratur recipiendo semini ad fœcunditatem minime sunt idoneæ, sed quæ tam diu quoad opus est exercetur, acceptum semen Solis virtute adiuta, semen fœcunditate multiplicat, & ita in auro euenit: non enim plus minus've coli, molliri, densari, spissari cum varietate partium vllo modo debet, quàm imaginis leoninæ diuersitas postulat: vt cœlestem illam vim ac potestatem non sine multiplicatione virtutis arripiat. Nec hac in

in re vlla eſt electio, vt ſuprà fuerat obiectum: & ne diutius immoremur, aſſerimus in illo eodem auro nulla transmutatione confecto, ſed varia figuratione formato aliam atq; aliam virtutem produci ex cauſis antè narratis, non igitur ſpecies in ſpeciem, ſed virtus in excipientis facilitatem commoda diſpoſitione transfertur, quæ quidem occultiora deprehendit experientia. Quis enim magneti vim attrahendi ferri cœlitus inditam allio impediri poſſe crederet? Quis item illam eandem huic lapidi meri ablutione reintegrari putaſſet, niſi magiſterio experientiæ deprehendiſſent? & ſic auro varietate formæ leoninæ diſpoſito cœlitus vim renum ſanandorum eſſe matheſeos acumen ex viſu deprehendit. Imagines ergo ſub conſtellationibus impreſſæ, vt morborum varietas requirit, ſi tempus & materia modúsq; ſeruantur, id quod narratur efficiunt: aliæ enim atq; aliæ diſpoſitiones effectuum varietatem eadem manente cauſa proueniunt.

De numero cælorum & horis planetarijs, quæ diebus nomen imponunt, & earum felicitate aut infelicitate, & quibuſdam theologis hæc declarantibus, &

quando

quando non est periculosum membrum tangere ferro, Luna existente in signo, quod membro dominatur. CAP. XXV.

QVAE de imaginibus astrologicis narrata sunt, attraxerunt nos vt de cœlis, eorúmq; numero sermo habeatur: sunt enim numero decem, quamuis Apostolus ad tertium se vsq; cœlum raptum narret, quod paulò pòst declarabitur. Sed cœlum & cùm instrumentum sculpendi, & machina mundi dicatur: diuersa tamen scriptura in idem redeunt: nam siue à cælando, hoc est occultando siue sculpendo dicatur, vtranq; enim cœlo verbum vim in se continens, mundo congruit: occulta enim sunt nobis cœlestia, & machina mundi quæ firmamentum à sacris literis nuncupatur, varijs imaginibus, vt postea apparebit, insculpta est. Cùm alij orbes vel non appareant, vt crystallinus & empyreus, vel si apparent, vt sunt planetarum cœli sculpturis carent, vnicam tantum stellam in globo habentes, & ideo per quandam metaphoram hoc nomen cœlum latius patuit. Virgilius,

Iam cœlum terramq; meo sine numine venti
Miscere, & tantas audetis tollere moles?

Lucretius,

in hoc cœlo,qui dicitur aër.

Firmamentum verò etiam nomine templi ornatur: idem

-Nec cæli lucida templa, Et hinc cõtemplari natum arbitror vt ſit cœleſtia conſiderare: extemplo etiam quod aduerbium eſt ab auguribus,qua ratione defluxerit quiuis intelligit, & ob hanc ſimilitudinem ſacras ædes templa vocamus, quaſi Deorum immortalium domicilia, vt ſunt cœli, & vt ab eo quod nobis proximius eſt incipiamus. Eſt cœlum Lunæ, poſtea Mercurij, deinde Veneris: hanc Sol,Solem Mars, Martem Iupiter, Iouem verò Saturnus altitudine ſuperat. Poſtea octaua ſphæra,ſiue cœlum ſtellatum ſiue firmamẽtum dicere malueris. Supra hoc eſt cryſtallinum cœlum, quod mathematici primum mobile vocant: quanquam quidam decimo hoc nomen tribuant. Vltimo & ſupremo loco empyreum immobile, diuinæ maieſtatis ſedes thronúſq; eſt: ſed hos tres orbes, id eſt firmamentum, cryſtallinum, empyreum tãtummodo aliquando ſacra ſcriptura cœlos vocat: Hinc eſt quòd Paulus Apoſtolus ad tertium vſq, cœlum raptus, hoc eſt ad

empy

empyreum, vidit arcana quæ non licet homini loqui: Esse autem cryſtallinum cœlum ſupra firmamẽtum Geneſeos primo capite habetur, cùm de Deo dicitur: Diuiſit aquas quæ ſupra firmamentum erant ab aquis quæ ſunt ſub firmamento: & quod ſacra narrat hiſtoria, naturali ratione firmatur, aqua ſiquidem ex qua cryſtallus (eſt enim glacies) mobilis, perſpicua, frigidáq; de natura ſui eſt. Primum quoq; mobile hæc tria habere mathematici demonſtrant: eſt enim frigidum, mobile, perſpicuum virtute non natura. Sed quoſdam minus idoneos opinantes cryſtallinum & primum mobile eſſe diuerſa autoritas Apoſtoli arguit, cùm ad tertium, & non ad quartum cœlum ſe raptum narret: ſunt igitur numero decem. Qui autem quorundam theologorum opinionẽ intelligere optat, confugiat ad Magnum Albertum. Cùm aëreum, æthereum, igneum, olympium, ſidereum, cryſtallinum, empyreum cœlos numerent, confundentes elementa cum orbibus planetarum & aliorũ cœlorum: Nam ex eis quidam inter empyreum & nonum (decem enim numerant) interponunt cœlum quod ſimpliſsimo motu

rotatur,& hoc esse crystallinum à natura lucida aiunt, & hinc cœlum aqueum nominatur, quoniam aqua materia est crystalli. Hos autem cœlos non ita perfectos esse vt creati fuerunt Magister Sententiarum asserit, redituros tamen ad pristinam perfectionem post generale iudicium: de hoc satis. Cœlum siue mundus (sic nanq; dicitur ob eximiam pulchritudinem, munditiásq; elegantes)à philosophis dicitur semper fuisse, sempérq; futurum, vt dictum est: doctrina Christiana,& creatos,& interituros esse vaticinatur atque affirmat. Vnde verbo domini cœli firmati sunt: & alibi, ipsi peribunt, & sicut vestimentum veterascent: quod & Ouidius sensisse in primo Metamorphoseos putatur: cum ait,

–reminiscitur affore tempus
Quo mare quo tellus correptaq; regia cœli
Ardeat & mundi moles operosa laboret.

Apostolus autem Petrus ait: Cœli autem igni reseruabuntur. Hæc autem mathematici de mundo futura prædicant, non tamen vno tempore: motus enim octauæ sphęræ paulatim hęc faciet. Mouetur autem sphæra octaua secundum iuniores & perspicaciores sexagesimo quoque anno

vna

vna parte, & non centesimo, & Hipparchus Platóq; tradidêre, ex quo quidem motu efficietur, vt vbi nunc est cancer, erit aliquando capricorni signum : & ob hanc causam regio hæc nostra quæ temperiem habet, nimio calore flagrans inhabitabilis exustáq, erit, & sic de cęteris pro loci conditione fiet: Nã quæ Sole perusta nunc est, temperata reddetur: nam propter Zodaici obliquitatem, de quo poëta,

Obliquus qua se signorum verteret ordo:

Capricornus est vicinior terræ quàm cãcer: Sol nanq; cancrum obtinens maximè distat à nobis, & è cõtrario capricornum tenens vicinior est: cum hic planeta oculus mundi in cancro est, eius radij quasi perpendiculares ad nos defluxi valde reflectuntur, & radiorum reflexio caloris est causa: Reflexio igitur sola & non proximitas Solis nunc calefacit, quia distantia magna contemperat: sed cùm capricornum obtinet Sol, vicinitate quoquo modo calefacit. Sed radiorum reflexione ferè nihil operatur: est enim perexigua, quia per transuersum iaciuntur: & hoc pacto nequeunt reflecti nihilq; profectò inflammat. Sed cùm capricornus cancri, itémq; cancer capricorni locum tenebit:

in hac noſtra habitabili nũc regione, cùm reflexione radiorũ recta, tum etiam Solis vicinitate tantus erit æſtus, vt omnia ardere cogantur: paulatim enim hoc fit, vt nunc vna particula, deinde alia, & ſic deinceps ardebit, vt in dies proximior eſt. Sterileſcet igitur terra, & ardore deſolabitur: De huiuſmodi igitur incendijs mathematici loquuntur, & ita mundus per ignem interibit. Quòd mundus quoque diluuio pereat, eadem ratio faciet: aqua enim ad motum octauæ ſphæræ mouetur, ita vt nunc ſit terra, vbi olim mare, & vbi nunc eſt mare, terra fiet: vt clarius in poſterioribus loquemur. De hoc firmamenti motu, multis ſæculis incognito Virgil. in Bucol. loquitur,

Magnus ab integro ſeclorum naſcitur ordo.

In cœlo ſtellato duodecim ſigna eſſe etiã Ouidius meminit,

Signaq́; ſex foribus dextris totidemq́; ſiniſtris,

vt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Piſces, quòd cœlum in duo hemiſphæria ſecatur, ab Ariete in libram ſex, & à libra in Arietem totidem ſigna numerantur: illa æſtiua, hæc hyemalia dicuntur: quæ quidem he-

miſph

misphæria cùm æquæ portionis sint (totidem enim signa partibus æqualibus continent) & Sol quolibet die æquam mensuram signiferi peragat, tamen non æquo temporis spatio hemisphæria trãsit, Nam hæc sex signa quæ æstiua esse diximus, Sol pluribus diebus peragrat, quàm alia sex: est enim differentia, vt ait Ptolemæus septem dierum. Hoc autem non alia ratione contingit, cum signa sint æqualia, partésq; æquales, & Sol eodem se motu agitet, nisi ex imparitate dierum: longiores enim sunt hyemales, quàm æstiui, diem intelligendo lucem cum tenebris à parte potiori, quem iuniores naturalem vocitant. Suprà enim diximus dierum alios quatuor & viginti horas, alios verò vltra citráq; se continere: æquinoctiales enim pares, cùm planetariæ sint impares. Sed cùm æquinoctium est, tunc æquinoctiales planetariæq; horæ eandem continent mensuram: & de his loquitur Ouidius secundo Metamorphoseos.

Seculáq; & positæ spatijs æqualibus horæ.

Sed si horas fœlices aut infœlices nominamus, de planetarijs loquimur: & huiusmodi horæ, more Aegyptiaco, diebus nomen dederunt: Nam apud Latinos à Ka-

lendis,Nonis,Idibus dies pendebant. Sed hæc dierum à planetis nominatorum cõſuetudo non valde vetus eſt: nonnihil enim Apoſtolus coarguens in epiſtolis innuit, vt ſuprà dixi. Et cùm duo luminaria orbem contemperent, neceſſe eſt omnia ad illa referantur, ita vt viciſsim nunc ad Solem, nunc verò ad Lunam reuertamur,atq; duo principia Sol & Luna ſint, quæ ſequetur dierum denominatio: vnde primus eſt Solis,ſecundus verò Lunæ, tertius Martis qui ſupra Solem eſt, quartus Mercurij qui ſupra Lunam eſt, quintus Iouis qui ſupra Martem tertius à Sole eſt,ſextus Veneris quæ tertia à Luna eſt,ſeptimus Saturni qui quartus à Sole ſupra Iouem ponitur.ita vt ſeptem dierum principatum duobus planetis tribuentes maiorem numerum maiori luminari dicauerimus. Mars enim Iupiter & Saturnus ſupra Solem, cùm Luna Venerem tantum & Mercurium habeat. Fuerunt igitur Solis & Lunæ dies vicini propter eorum domicilia: Cancer enim Lunæ,& Leo Solis vicinitate iunguntur: Horæ igitur planetariæ diem nominantes in magicis maximam habent vim, & in humanis negotijs non ſunt magni momenti

menti, nisi cum genitura concordent, vt mox docebimus. Sed iuuant etiam electiones: nam si in aliquo opere Iouem in medio cœlo elegero, & hoc hora Iouis fiat, multùm coadiuuat: sed aliàs non magni, vt dixi momenti sunt, nisi genituram sequantur: & vt exemplo declarem, videntur esse vitæ nostræ pedissequæ: nam si quis nodosa podagra, aut cancro, aut elephantiosi, qui morbi non recipiunt curam laborabit, temperantia victus non curabitur, sed minus lædetur: sic etiam huiusmodi horis euenit, vt infœlix à natiuitate minus lædatur, si fœliciori hora rem suam incœperit, & fœlix reddetur fœlicior adiutus fœlicitate horarũ: Nam hoc in dies experimur, vt vna & eadem hora electa diuersis diuersa tribuat, ita vt alter lætetur, alter verò tristitia conficiatur. Sed sunt quædam tanquàm venenum omnibus nocentia, vt si quis nouam vestem incidat aut induat, Luna existente in leone: de quo sic Ptolemæus in libro Fructuum, Non incidas vestem, neq; induas ipsam primo quando Luna est in leone, quod si etiam infortunatur, maius malum erit. Præterea Luna in coitu cum Sole omnibus ferè noxia est, & vt ad ele-

ctas horas redeamus, dicimus earum fœlicitatem à genitura pendere: sic enim ait Ptolemæus, tunc dierum atq; horarum electio confert, quando tempus natiuitatis conuenit: nam si contrarium est non conducit, etiam si ad bonum euentum aspiciat. Sed mathesis electionem & horarum, & signorum cum horoscopo docens minoris efficaciæ horarum potestatem asserit: sed hæ quoq;, vt dictum est electiones roborant, & vt à Saturno principium sumamus, hora Saturni medicinas sumere, reges adire, amicitiam quærere, domum exire, sanguinem aut ex venis aut cucurbitis minuere, Iter præcipuè maritimum inchoare, commodatum accipere prohibemur] è contrario verò terras arare, fodere, occare iubemur: vnde non incuria nostratibus Saturnum agri colendi doctrinam tradidisse commemorant. Si quis autem hac hora in morbum frigiditate nocentem inciderit, aut morietur, aut diu afflictabitur. Iouis hora iter arripere, principes visere, matrimonia nuptiásq; contrahere, sementem facere, arborem plantare, aut inserere, cum optimatibus regibúsq; negotiari, ædificia incipere optimum est: Præterea hac Iouis hora

hora medicamen sumere, sanguinem minuere, medicinas simul miscere, electuariáque conficere suademur. Sed odoramenta nimis calida, vt piper, cinnamum, gariophyllum, & alia huiusmodi sumere, nec non res igneas tractare, cùm ab igne tunc maximè cauendum sit (non enim sine causa Ioui fulmen tribuit antiquitas) penitus prohibemur. Hora autem Martis maximè notanda est: nihil enim ferè commodi secum affert, vnde & medicina & sanguinis detractio præcauentur: esculenta verò & bellaria quæ frigidioribus morbis auxiliantur hac hora sumere non improbatur. Mars enim calidus siccúsq; intemperanter humana negotia habitudinésq; conturbat: nequam enim est, nisi à Sole aspiciatur: nequitiam enim

Mars Solem veneratus amittit, vt Firmicus ait. Hora Solis itidem cuncta ferè infortunat: ea enim huius planetæ conditio est, vt alijs iunctus sit infœlix: comburit enim omnes præter Mercurium, galero enim tectus est, vt diximus. Sed aduertendum est duplicem esse Solis cum cæteris planetis coitum: Quidam enim est in parte vel in signo, & hic malus, sed si luminaria, hoc est Sol & Luna coëant

in

in eadem minutia,& in genitura alicuius fuerint in horoſcopo inuenta cum fortunatis aſpectibus, dant nato felicitatem in omnibus rebus. Sed infortunium cum eis horoſcopans omnia ſubuertens contrarium efficit, in nihilo enim fœlicitatem ſentiet. Hinc eſt quòd coitus Solis quocunq; modo accidat infœlix eſt. Fœlicitatem enim illam in omnibus rebus non ipſe, ſed fortunatus planeta horoſcopans largitur, quo ceſſante omnis fœlicitas abit: non eſt ergo naturale huiuſcemodi coniunctioni vt ſit fœlix. Hora igitur Solis vna cum coitu vitanda eſt: nihil enim ſecum boni affert: nam mittere ſanguinem, veſtem nouam induere, pecuniam mercandi gratia fidei alicuius committere, ædificium facere, noui aliquid ſtruere, pecora emere, cum mulieribus coire (Martem enim & Venerem coëuntes, vt fabulæ tradunt, Sol indicauit) domum intrare, ſortem in mercando concredere, (quoniam & qui accipit morietur, & ſors amittetur) penitus vetamur: Ad hoc etiã ſi hora Solis febris initium fuerit, vehementiſsimæ acceſsiones aderunt, ita vt æger aliena loquens animo ſæpe deficiat. Sed bonum erit hora Solari reges adire,

adire, dummodo non ſit in occaſu : nam Sol occaſui vicinus hanc fœlicitatem ſuæ horæ denegat. Vtile etiam erit ſe principibus in obſequium iungere, publicam fidem pro ſubſtantia impetrare. Hora Veneris bonum eſt, ludos iocósq; facere, coniugia tractare, mulierum beneuolentiam quærere, medicinas ſumere. At ſanguinem etiam cucurbitis minuere, nauem intrare, arbores plantare aut inſerere, ſementum facere, cum vxore coire peſſimum ducitur. Venus enim ad inconceſſum magis quàm honeſtum coitum inclinatior eſt: hinc poëtæ ſæpe Venerem pro amica, vt

parta mea Veneri ſunt munera:

& pro gaudio turpi poſuere, vt

quas habeat veneres aliena pecunia.

Sed nouas veſtes induere, picturam exercere, verſus componere & rithmos, mundum muliebrem ac periſcelides conficere, vnguenta & quæ voluptaria ſunt parare optimum iudicatur. Si quis autem Veneris hora in frigidam ægritudinem inciderit, grauius ſe habebit. Mercurij hora pecuniam vel ſubſtãtiam lucris tribuito, aut vendito, cùm & Plautus in Amphitryone Mercurium ſic loquẽtem

introd

introducat: vt, Vos in vostris voltis mercimonijs emundis vendundisq́; me lucro afficere atq; iuuare in rebus omnibus, debita exigito, potiones medicas sumito, arbores plantato, caduceatores adeunto reges, fundamenta iacito, puteos, foueas, fossas, scrobes excauato, pueros ad ludum literarum, vel ad artes discendas, vel ad mercaturam ducito, pecuniam mutuò accipito, quoniam prosperum erit: debitum enim sine læsione amicitiæ reddetur. Sed matrimonium contrahere, hæreditatem adire, prædia emere, de domo in domum habitationem variare, homines è carcere compedibúsq; eximere pessimum habetur, quoniam rursus ad hæc incommoda citò deuoluentur. Sed hora Lunæ nec ædificare, nec medicamentum soluendi ventris gratia sumere, nec porcos aut oues, nec minorum animalium gregem mercari, nec vestes iucidere debemus. Currum enim Lunæ, vt poëtæ fabulantur, aut equi secundum Propertium, aut muli secundum Verrium trahunt, quæ maiora sunt animalia. At fructus surculorum emere, fossas, puteósq; facere vtile est. Luna enim, vt omnes nouerunt, & impletur & vacuatur, & in se maculas ostendi

oſtendit, quæ eueniunt propter Lunæ inæqualitatem, alibi enim denſa alibi rara lumen Solis clarius oſcurius've reddit: equos aſcendere & equitare, mulieres honorare, pueros ad lites ducere, inimicos inſectari & perſequi, ex vrbe aut domo exire cenſetur optimum: ſed eas hac hora intrare malum eſt, & ſi quid accommodaueris cum maxima difficultate & vix integrum recuperabis: eſt enim inſtabilis Luna & fallax, imo magi ſpiritum Lunæ ſummopere vitãdum præcipiunt, ne nos occidat. His igitur pertractatis dicerent nonnulli huiuſmodi obſeruationes ſuperſtitioſas eſſe & religioni contrarias, niſi beatum Thomam & Magnum Albertum audiuerint. Nam beatus Thomas in libro contra Gentiles ait, Quamuis ſolus Deus ad electionem hominum operetur, tamen angeli & corpora cœleſtia diſpoſitiuè poſſunt ad eandem operari: actio enim angeli eſt per modum perſuaſionis, & actio corporum cœleſtium per modum diſpoſitionis: Deus autem vtrunq; operatur per modum perfectionis, nec ſemper eligit homo quod angelus cuſtos intendit, nec ſemper illud ad quod corpora cœleſtia inclinant: ſem-

per tamen eligit homo, quod Deus operatur in eius voluntate: vnde illud non prohibet, quod etiam aliquis homo habeat ex impreſsione corporũ cœleſtium aliquam efficaciam in aliquibus operibus faciliorem quàm alius non habet, vt puta medicus in ſanando, miles in pugnando, agricola in plantando: hanc autem perfectionem multò perfectius Deus largitur hominibus ſua opera efficaciter, quæ exequenda erunt, operantibus. quamuis Deus hominem dirigit ad eligendum id quod in mente ipſius efficit, poteſt tamen homo per corpora cœleſtia adiuuari ex eo quod eligat aliqua conuenientia ad finem, vt hoc efficaciter conſequatur per virtutem à ſuperiori cauſa adeptam: ſicut medicus in medicamentorum confectione, nec non in eorum adminiſtratione in hora electa proferat: hactenus doctiſsimus & ſanctiſsimus vir, incompto tamen ſermone Thomas. Sed Magnus ille Albertus omnium diſciplinarum fons in Speculo in capite de Electionibus reſpondet illis qui ex electione horarum arbitrij poteſtatem tolli arbitrantur, quoniam, vt aiunt, id agere nequeunt, cùm volent, vbi Albertus dicit: quòd

quòd in magnis rerum incœptis electionem horæ contemnere, est potestatem arbitrij præcipitare, idq; plurimis exemplis roborat: Meminit nanq; vtriusq; infortunij, Martis videlicet & Saturni: nam in medicamentis sumēdis Saturnus stringit, prohibens euacuationem, Mars verò laxat, ad sanguinêmq; vsq; euacuat: Luna verò in prima parte capricorni vomitum prouocat, & alia plurima. Medicus quidam vulnerarius fistulam iuxta longanonem & intestina secans Luna scorpionem tenente hominem occidit. Attamen in huiusmodi negotijs non satis est vnum tantum considerare: posset nanq; contingere, vt sectio membri salubris etiam fieret, Luna signum membri obtinente: verbi causa: si Luna in eo actu ab horoscopo cadat bonos planetas aspiciens non impeditos tamen, sine aliqua trepidatione membrum ad salutem incidi, secari, vtiq; potest, quoniam præsentia Lunæ in signo membri nihil officit: nam superuacuum humorem quem Luna ex se attrahit, quo etiam vulnus impleretur, fœlix planetarum aspectus exiccat: & ipsa Luna cadens non nocet: hinc est quòd electiones horarum apud veteres in frequen-

tissimo vsu fuêre, vt ait Iuuenalis:

-Sumendo nulla videtur
Aptior hora cibo nisi quem dederit petosiris.

Idem,

-plus enim fati valet hora benigni,
Quàm si nos Veneris cōmēdet epistola Marti.

Idem,

-vectandi cum placet hora,
Sumitur ex libro. Electiones igitur horarum, & ratio ipsa, & nostra religio non improbat, vt testimonio duorū Alberti & Thomæ comprobauimus. Fuerunt nanq; duo lumina sapientiæ quibus nihil defuisse agnoscimus præter ornatum dicendi: quo si eorum scripta fulgerent, profectò non semper ad vetustatem recurreremus: sed vicem eorum & meam pariter doleo: indigeo nanq; sæpe eorum hominum testimonio, quod si integrum remaneret, omnem laborem nostrum deformaret: sed vt antè diximus, nihil in codice nostro propter magnifici Laurentij tersam, delicatámq; orationem inseretur, à quocunque mutuemur, quod non sit etiam Latino homini tollerabile: tollerabilia autem teste philosophia non sunt omnino voluntaria, nam me aliquando sermo Ciceronis excruciat, qui in Tuscul

ſculanis quæſtionibus ornatus negligentiam hominis otio & literis abutentis eſſe retur: quis enim reuera non abutitur otio, cùm tantundem temporis in bonis ſicuti in malis literis addiſcendis abſumatur? temporis nanq; abuſus eſt cùm rei neq; idoneæ neq; neceſſariæ otium impenditur: nam ornata lepidáq; narratio vnumquenq; allicit, & oble-ctãdo minimè defatigat. Incultus verò perplexúsq; ſermo hominem à ſe penitus auertit, & hinc malum illud maximum naſcitur, quod ignorantiæ tribuimus, vt mox apparebit.

De crimine ignorantiæ quod maximum peccatorum eſt, & quòd omnis malus, ignorans & impotens. CAP. XXVI.

NON ſine ratione nunc de ignorantia mẽtionem, faciam quoniam quas antè docuimus artes, nec non horarum electiones ignorantia dudum ſuperſtitioſas eſſe putauit, quas Thomas Peripatetici dogmatis princeps ſapientia pariter ac ſanctitate excellens, vna cum præceptore Alberto rationibus approbat: Hinc igitur quaſi per tranſennam quandam conſpicimus, doctos inſciósq; quodam inter ſe odio diſsidere, ita vt quod ab inſipientibus

tibus plerunq; damnatur, ſapientia laudet, & è contrario. Sed ignorantia, quæ nomen ſtultitiæ ſubit, Virgilius.

Stultus ego huic noſtræ ſimilem:

tam grande malum putatur à ſapientibus teſte Cicerone, vt omnibus & corporis & fortunæ incommodis anteferatur: hoc enim malum hac via graſſatur, vt quod oportet mentem ſubire non patitur, & ſi aliqua via permiſit efficit ne inhæreſcat, peruersè conſulentibus annuens, recta ſuadentibus aduerſans. Scientia autem è contrario quod facto opus eſt tenaciter arripit, reiecto malo bonis conſilijs vtens: quorum electio non fortunæ, ſed noſtro moderatur arbitrio: fortuna enim diſcitur nunquam: vnde Virgilius,

Diſce puer virtutem ex me, verumq; laborem,

Fortunam ex alijs, vbi Seruius, imiteris ſupplet, cùm optes dicere debuiſſet: poëtarum enim mos eſt ſermone etiam truncato quidem vti, etiam Auerroidis in Canticis Auicennæ teſtimonio: ſic enim ipſe ſentit, eſſe autem ita & Horatij & Terentij dicta confirmant: nam ille,

Ventũ erat ad Veſtæ magna iam parte diēi,

& hic: Poſtea quàm ad Dianæ peruenimus, in vtroq; enim templum ſubintelligitur:

gitur: &,vt ad rem redeamus,interrogarent fortaſsis nõnulli: qua de cauſa ignorantia tam inexpiabile facinus reputatur, cùm illud philoſophicum ignorans malus, & malus ignorans etiam reciprocatur. Ad hoc dicta Ariſtotelica adducenda ſunt, nam in libro ſecúndo Politicorum hominem ſine diſciplina animal truculentiſsimum, ſylueſtre,efferũ,omnium peſsimum: diſciplina autem excultum, cunctorum excellẽtiſsimum philoſophus eſſe aſſerit. Diſciplina igitur hominem perficit,cùm de natura ſui ad omne flagitium pronus procliuiſq; ſit. Hinc igitur naſcitur quòd ignorans, hoc eſt ſine diſciplina ſit malus, itidémq; malus ignorans, non rectè percallens eſt etiam impotens: nam alicuius potẽtia dicitur cùm id efficit quod exoptat, vult autem à natura bonum: bonũ enim eſt quòd omnia appetunt,cùm autem malitiam ſequitur à naturali inclinatione detortus,non potuit id adipiſci quod cupiebat: hinc eſt quòd impotens pro malo ponitur, ſimilitérq; malus pro impotente. Seneca,

Impotens flammis ſimul & ſagittis:

& Boëtius:

exarmaueris impotentis iram. Homo igitur

tur ignorans malus impoténsq; eſt. Sed hic more Hydræ ſuccisæ, caput aliud quæſtionis exoritur. Nam ignorantia, vt probauimus, malitia: & vt conſequens eſt, peccatum cenſetur: peccatum autem nullum dicitur niſi ſit volũtarium: ignorantia autem non videtur voluntaria, quandoquidem omnes homines natura ſcire deſiderant, teſte Philoſopho: quod facilè refutatur. Voluntarium enim eſt peccatum ignorantiæ ex eo quod naturale deſiderium floccifecit: non enim diſciplinas ſecutus eſt homo ignorans, & hoc modo immanitatis partem feræ & truculentæ naturæ contagionem vel omnino, vel aliqua ex parte retinuit, non vſus excolente præceptore. Sed dicent, eſto rudis ignarúsq; homo iam pœnitentia ductus ſe culturam humanitatis neglexiſſe dolens, cur ex ignorantia peccare aſſeritur? Semel enim peccatum eſt non ſine pœnitentia, vt iam diximus, doctrinam cultúmq; negligendo. Cur ſemper in hoc luto hæſitare putatur, vt ignorans peccet? Quod ſanctiſsimus & doctiſſimus Auguſtinus in libro Retractationum veris rationibus declarat: ait enim. Ille qui peccat ignorans, voluntariè vtiq; peccat,

peccat, quod cùm faciendum non ſit, putat eſſe faciendum: & rectè mea quidem ſententia: nam ſi voluptuosè viuendum neglectis virtutibus arbitratur, ex arbitrio animi & ex voluntate hoc amplectitur, putans id eſſe bonum quod malum omnino eſt. Similiter ſi inſcius docto viro occurrens loco non cedens, peccat: ſcientia enim, vt Ariſtoteles dicit, & beatus Thomas affirmat, eſt bonum honorabile, quod pecunia aut culta ſuppellectile multisq; commodis ſubfultus ignorans doctum hominem non honorabit, carens hoc veritatis lumine, cùm veritas bonum ſit, neceſſariò boni expers malus erit: quid enim ſtultius eſſe poteſt, quàm brutum aurea veſte pecuniáque ſubfultum homini diuitiarum inopi, ſed doctrinarum diuiti anteponere? Sed qui ſcientiam doctrinámq; venerantur non dicuntur ignorantes, intelligunt enim quid ſit artibus bonis excoli, & ex hoc lumine doctrinam & capeſcendam & magnifaciendam intelligunt, ita quòd in re dubia ad doctiores recurrunt: vnde factum eſt, vt maximi principes bellicis alijsq; negotijs diſtracti, philoſophos ac theologos omniúmq; artium bonarum magiſtros, &

honorent,& præmijs summis afficiant,ex qua re laudem & humanam & diuinam merentur. Nam nullum grauius peccatum quàm ignorantia esse censetur. Ferina enim natura induitur,humana exuitur:ferina inquam illa quæ omni ratione rectóq; iudicio calcatis insanit: quoniam sicuti disciplina quòd à natura scelestissimum est animalium ad mansuetudinem integrósq; mores reuocans ita reformat, vt iam naturæ gratias agat, quòd homo sit, ita doctrinæ scientiæq; negligentia virus ignorantiæ miscens ad illam immanem, agrestem insulsámq; naturam hominem retrudit,adeò vt hic sine disciplina fons flagitiorum existens:bonorum enim penitus expers. grauissimis cruciatibus torquetur,quoniam mitius apud inferos cum furibus, cum latronibus cum parricidis & proditoribus sacrilegisq́;, quàm cum ignorante agitur. His enim pœnæ certæ & præfinita tormenta pro scelerum mensura sunt. Nam diuina maiestas pro numero & qualitate delicti pœnam infligit,& tortores,id quod imponitur exequuntur: hæc nanq; à Deo sciuntur. Ignorans autem omnibus pariter sceleribus addictus ignorabitur testimonio

Apost

Apoſtoli, quod nihil eſt aliud, quàm maieſtatem diuinam ignorantium nullã habere curam,& mẽſuratæ pœnæ oblitam, vt ita loquar, omnibus demonijs pro eorum arbitrio nullis pœnarum terminis, modisq; ſeruatis ignorantes cruciandos relinquere. Quid autem ſit in manus dæmonum deuenire laxatis cruciatuum habenis, cùm inuideant propter ereptam beatitudinem hominiq; tributam, nemo profectò ignorat, cùm gurges inuidorum minimè repleri poſsit: dæmones igitur ignorantem ex Apoſtolica ſentẽtia quocunq; modo voluerint excarnificãt,& eo magis cum ipſi de natura ſui ſint ſapientes: nihil enim de bonis naturæ propter damnationem immunitũ eſt: odio igitur flagrantiſsimo ſuos inimicos, vt probabile eſt, inſectãtur: ſcientibus enim cum ignorantibus immortale eſt odiũ, propter naturę diſsimilitudinẽ. Inferos verò dęmones eſſe implacabiles & ſacra narrat hiſtoria,& Virg. aſtipulatur, cùm de eis dicat:

Neſciaq; humanis præcibus mãſueſcere corda,

& in eodem,

Cùm ſubita incautũ demẽtia cœpit amantẽ,
Ignoſcenda quidem ſcirent ſi ignoſcere manes.

Omnium ergo ſcelerum pœnas ſuper-


grediuntur ignorantium tormẽta. Quod cùm magnificus Laurentius optimè iamdudum ex varietate doctrinæ qua cultus ornatúsq; est, percallens, vt animorum medicus Pisis gymnasiũ doctissimorum excellentia frequentissimum, disciplinis omnibus refertum muniendum curauit: vt ignorantia è patrijs sedibus fugaretur. Nam homines doctrina pollentes ita colit, & coluit, vt quenq; ad scientiæ brauium cursores inuitet:nam fugatis ex orbe tenebris quas obducit ignorantia lumen veritatis apparet: Veritas autẽ cùm bonorum sit fons mentes hominum illustrans bonos efficit,& vt ipse doctissimus est,ita omnem eius familiam erudiendam curauit: adeo vt Ioannes filius,titulo cardinalatus ornatus:imo titulum ornans admodum iuuenis(vix sextũ decimum expleuit annum)& tamen Græcè Latinéq; doctus, iucunditate sermonis & linguæ proprietate, ita Latinè loquitur, vt possit cum senioribus doctis comparari: deinde dialecticam amplexatus ad arduas disciplinas Grammatice Dialecticéq; adminiculis sustentatus,maxima cum alacritate festinat. Nam hæc non audiuimus,sed oculis vidimus, eiúsq; ingeniũ, & harum

artium fundamenta sæpe tentando cognouimus, de motibus eius ornatissimis quid referam? cùm modestiam ac integritatem, magnificentiæq; igniculos, vt hæreditaria & à parentibus accepta, non modo possideat, sed illustret, vt Laurentij Medicis omnibus esse videatur. Relucent nanq; in eo futuræ probitatis simulacra quædã, in eo enim integritatis, pietatis, fidei, grauitatis, liberalitatis, affectionisq; ad omnes doctrinas, amorisq; sapiẽtiæ nõ modo flores, sed vberrimi fructus apparent. Inest nanq; lepidus sermo cum quadam dictorum factorúmq; gratia: & hæc omnia facie staturáq; pulcher reddit iucundiora, secundum illud Maronis,

Gratior & pulchro veniens in corpore virtus adiuuat, Hæc autem cùm admiranda sint, attamen à magnifico Laurentio in filium defluxisse conspeximus, ita vt certissima spes nos teneat ad sublimiorem dignitatis gradum cardinalem Ioannem venturum, & hoc non sine ratione dicimus, ex parte enim cognoscimus, & si astrologis conueniret, adderem & prophetamus: sed more matheseos prædicimus, astra enim in eo admiranda portendunt. Nam ex illa celebri illustriq; Mediceorum

ceorum familia ortus, seditionibus ac discordijs tumultuibúsq;, qui sæpe vulgus agitant, medicinā tribuens finem aliquando imponens ad sublimiora deueniet, ab omnibus enim cognoscetur, ex ea familia ortum, cui fata medicinæ nomen dederunt, cùm nullus ex hac familia corporis sed animorum medicamenta composuit: nam si per excellentiam dicatur quis medicus, cui dubium est eius esse animorum curam? cùm morbos corporis vel aniculæ aliquando sanent, morborum autem animi, mortē medicum esse putauit Phalaris, ea enim tempestate hæc Mediceorum familia non erat, quæ etiam viuentibus morbos animorum iam conclamatos & curat & euellit, vt in negotijs Italiæ, aliarúmq; gentium sæpe conspeximus.

De scientia quot modis sumatur, quæq; beatum facit, & quid est beatitudo nostra & philosophorum. CAP. XXVII.



SCIENTIAM quam ignorantiæ, de qua sermo est habitus, opponunt, multifariam acutorum virorum solertia vsurpauit, nam scire aliquid dicimur, quocunq; modo illud teneamus etiam ignoratis causis non sine hæsitatione, ita vt opinari, susp ic

ſuſpicari, coniectare, dummodo veriſsimile contineant ſciendi appellatione includuntur. Perſius,

Scire tuũ nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter:

Horatius,

Cur neſcire pudens praue quàm diſcere malo,

Et in frequenti ſermone eſt, nihil ſcit, de homine hebeti ac obtuſo: & viam, modum, artem, numerum ſcire putantur hi, qui aut memoriter tenent, aut experientia callent, aut apparentem notitiam habent. Et tale ſcientiæ nomen cùm latiſsimè pateat, ad omnes ferè actus etiam turpiſsimos atq; leuiſsimos relegatur, in quibus nec ratio nec cauſa reddi poſſunt. Sed in ſcientia exactiſsimè conſiderata, vt philoſophorum acumen apprehendit quatuor expoſtulantur: primùm ſiquidem, vt ſit cognitio certa ſine cauillatione & hæſitatione aliqua. Secundum eſt, vt quæ cognoſcũtur ſint neceſſaria. Tertium, vt cauſæ quæ cognitionem præſtant, ſint euidentes pateántq; intellectibus. Quartum, quod ampliſsimum putatur, eſt, vt collectionibus id eſt (vt Græcè loquamur) ſyllogiſmis, quod cognitum eſt comprobetur. Cùm igitur aliquid horum defuerit, ſciẽtiæ exactiſsimæ nomen

amit-

amittit. Nam graue ſemper deorſum fertur: & hoc certum, deinde neceſſarium: ſemper enim hoc ineſt illi à natura, & intellectui huiuſce rei cauſa euidens eſt, quoniam leue quod illi opponitur, ſurſum tendit, & ſyllogiſtica argumentatione firmatur: vt omne graue tendit ad centrum terræ, centrum autem eſt deorſum, & hoc graue eſt, deorſum igitur tendit. ſecundum hanc doctrinam, multa à nomine ſcientiæ excluduntur vt ars magica, alchimia: in his enim plurima ſunt in quibus argumentatio deficit, ex quibus veritas quaſi laqueis, irretita effugere minime poteſt. & ob hanc cauſam Auerrois ait, in alchimia multa fiunt quę fieri non poſſe videntur: & in arte magica quanquam animæ noſtræ mutandarum rerum vis ſit, & hoc perpetuum eſt, cauſæ tamen intellectum noſtrum minimè illuſtrant, quoniam non apparent, ſæpe enim accidit vt eadem verba quæ aliquando intelliguntur alio ordine atq; alia voce, quàm ars velit, enuntiata nullius efficaciæ ſint, cum ordine & voce ſeruatis habeatur effectus eius quod intendebatur. Horum igitur cauſam nec intellectus apprehendit, nec vis argumẽtationis oſten

oſtendit: vnde culturæ vel religionis nomen potius quàm ſcientiæ & magia & alchimia ſubibunt: nam in ea cùm plumbum nomine leproſi auri nuncupent, & lepram (vt more ipſorum & eccleſiaſticorum nunc loquar) alchimicus ſe poſſe curare profiteatur, vt purum aurum ac lepra mundatum ſit: attamen cauſę latitabunt, & ſyllogiſmorum ſuffragatio conflacceſcet, quamuis etiam concedatur alchimico metalla omnia eiuſdem eſſe ſpeciei, alioquin philoſophia reluctaretur, quæ ſpeciem in ſpeciem poſſe confundi negat: ſed ars magica ſæpe conceſsit, homines enim in lupos & aſinos aliáq; animalia verſos aſſerens, de his aliâs. Sed metalla eiuſdem eſſe ſpeciei non omnino abſurdum putatur, nam inter ſe aut raritate aut denſitate, aut colore differunt: hæc cùm ſint accidentia ſeparabilia, non poſſunt ſpeciem variare, alchimia igitur à nomine ſcientiæ exactiſsimæ longè abeſt, & quia ſuprà diximus oportere neceſſarium eſſe, aduertendum eſt quatuor modis hoc nomen accipi teſtimonio Ariſtotelis. Nam primo id dicimus eſſe neceſſarium quo ſine minimè eſſe poſſumus, vt animantes ſine alimento: deinde

id

id hoc nomen ſortitur abſq; quo non bene commodéq; viui poterit, ideo tectum & veſtitum homini eſſe neceſſaria narrant. Poſtea neceſſarium violentiæ nomen importat, vnde Lucanus,

–cupias quodcunq; neceſſe eſt, vt ſi dicamus, neceſſariò omnia occidunt: & huiuſmodi neceſsitas contriſtat. deniq; id eſſe neceſſarium aſſerimus quod variari nequit, non enim contingit aliter ſe habere, & hoc vltimo ſcientia exactiſsimè conſiderata indiget: ſicuti ortus primi mobilis ab ortu ad occaſum ſemper eſt: & huiuſcemodi neceſsitas ſiue neceſſarium in ſempiternis reperitur. Neceſſarium verò, vt violentum eſt, à ſuperna beatitudine penitus exulat, quod enim inuiti facimus in actione contriſtat: nihil autem in diuinis triſte, nihil ergo non voluntarium eſt: ſed iam hac prætermiſſa digreſſione ad propoſitum redeo: ſicuti ſcientia & ignorantia nullo pacto cohærent cùm ſint contrariæ, ita vt contrarios effectus inducant. Nam vt ignorantia (vt dictum eſt) in perditionem tenebráſq; inferni præcipitat: ita ſcientia ad ſalutẽ & æternum lumen beatitudinémq; vehit, vt ratio dictat, ſic enim id verum eſſe oſten-

ditur

ditur & vt gratia exempli à ſenſibus incipiamus hoc ordine incedemus: ſicut auditus tunc felix poſſeſſórq; ſolidi gaudij putatur, cùm ea audit quæ iucundiſſima ſunt: ita viſus cùm pulcherrima rerum, & olfactus cùm odorum ſuauiſsima odorat, beantur, & ſic de cæteris dicitur: nam guſtus tunc triumphat, cùm ſuauiſſima attingit, guſtus enim tactus quidem eſt, ſic etiam de tactu, qui cùm minus cæteris ſenſibus oblectatur, prærogatiuam habuit, vt per omne corpus ſpargatur, cùm reliqui ſenſus certam ac præfinitam ſedem habeant, oculi enim viſus, nares olfactus, aures auditus, lingua guſtus ſedes eſt: eodem modo de intellectu loquemur, qui tūc beatus eſt, cùm omnium optima & præſtantiſsima intelligit: cùm autem Deum optimum ac præſtantiſsimum omnium maieſtátis immenſæ, potentiæ infinitæ omnia in ſe continentem, in quo præteritorum, præſentium, futurorum exemplaria relucent, noſter inquam intellectus apprehendit, tunc beatur, tunc gaudio ſolido impletur, tūc veram & immutabilem beatitudinē poſsidet: & meritò, Deus enim eſt ſummū bonum, ſuper omnem ſubſtātiam omnémq;

naturam, quem cuncta expetunt, est enim perfectionis consummatæ, nullius societate indigens, vt ait Plato in Timæo. Sed quidam philosophorum cùm hanc Dei cognitionem tam arduam esse ducāt, vt à paucis percipiatur, beatitudinis adeptionem ad paucos spectare, videntur sentire, pauci admodum scientes sunt, attamen Aristoteles commune bonum quod omnibus prouenire potest, non orbatis virtute, felicitatem putans, nobiscum sentit, siue de humana siue de diuina felicitate loquatur, vt est illud:

felix qui potuit rerum cognoscere causas.

Nam Christianitas beatitudinem in diuina fruitione locauit, est autem frui amore inhærere alicui rei propter se ipsam cui carmen illud Virgilij astipulatur,

-fruiturq; Deorum

concilio. vbicunque amor admiscetur semper scientia & cognitio præsto sunt, nemo enim quod ignorat amare potest: nā si amor vt suprà narrauimus, est fruendæ pulchritudinis desiderium, cognitio subeat necesse est: nunquam enim desideramus quæ nec vidimus, nec audiuimus, nec vllo sensu modóq; percepimus: rectè igitur Augustinus non visa amare

possu

possumus, incognita nequaquam, quod & Ouidius de Arte amandi asserit cùm ait,

Quod latet ignotum est, ignoti nulla cupido.

Sed cùm aniculas & infantes omniúmq; disciplinarum penitus expertes veritas Christiana in beatorum numerum collocauit, videretur non scientibus more philosophico tantùm beatitudinem tribui, vnde vanam esse philosophiæ doctrinam conuincere possemus, nisi huius rei declaratio subseruiret. Certisimum enim est, vt intelligentia ad fruitionem diuinam sit necessaria, sed sciendi alius ordo in nostra fide est, quàm in dogmate philosophorum: fides enim nostra ait: credite vt intelligatis, intelligentia ergo est fidei donum, vnde infantes in fide parentum aqua tincti credunt, & hoc modo intelligunt, & aniculæ disciplinarúmq; exortes eodem modo sapiunt: nam credentes intellexerunt, & sicut illam philosophorum beatitudinem, literarum & studiorum assidua cura, ita felicitatem nostram fides parit, ex cuius illuminatione etiam hebetes qui sunt, redduntur scientes. Sed si sapientisimi viri & disciplinarum fonte exculti crediderint, erunt sapientiores, & vt consequens est beatiores, capacioresq;

felicitatis æternæ: vnde illud dictum est, fulgebunt iusti sicut stellæ, & intelligentes sicut firmamentum. Quanto autem totum parte præstantius sit, qui non videt, cæcus est, & hac in re sicuti in luce contingit, clarissimam enim lucem non omnes æqua portione arripiunt: nam qui hebetioris sunt visus, minus claritatis accipiunt, quàm qui acutiore lumine perfruuntur, & huc tendere illud euangelicum videtur, in domo patris mei multæ mansiones sunt, non enim omnes beati cùm plenè contenti sint, æquam beatitudinem possident: quoniam ea, vt quisq; capax est, participat, vt in conuiuijs videmus esculentorum capaciori ventre qui est, plus illo vorauit, qui angusto ventre compactus est, & tamen vterq; ad saturitatem vsq; repletus est, nec amplius optat. Hæc volui tetigisse in cõtumeliam ignorantiæ, quæ sapientiæ, hoc est Palladis hostem se profitetur, cuius quidem Palladis scientia & amatrix & pedissequa est. Sed si quis exquisitius philosophiæ documentis imbutus rationes de beatitudine naturales inquirit, ad Auerroidem & alios recurrat: nam nonnihil Caietanus familiaris noster in libro de Anima

dieb

diebus meis inseruit: interim autem memoriter tenendum arbitror illud Ciceronis in sexto de Republ. libro cùm ait, omnibus qui rempublicam iuuerint, auxerint, defenderint, certum & definitum locum in cœlo esse, vbi beati sempiterno æuo perfruantur: & è contrario vastatoribus conturbatoribúsque reipublicæ in inferno (ô Cicero) pœnarum cruciatuúmq; locum Virgilius tribuit:

Tartareas etiam sedes alta hostia ditis
Et scelerum pœnas & te Catilina minaci.
Pendentē scopulo furiarumq; ora trementem:
Secretosq; pios, his dantem iura Catonem.

Quod non iniuria diligentia Virgiliana commemorat, pœnas enim infernales veras putauit Cato, cùm in Salustio Iulium Cæsarem coarguit, vt hæc quæ de inferis prædicantur, vana putantem. Sed hæc quæ narrauimus spem certissimam tribuunt beatorum sedem in cœlo magnifico Laurentio esse paratam, hoc autem nulla certitudine sed coniecturis assequi possumus: ipse nanq; eruditus & scientia pollens scientes omnes colit, & auget, pro republica sanguinem proprium fudit & charissimum fratrem Iulianum amisit, in statúq; tranquillo, vbi otium & diui-

tiæ affluunt, Florentiam collocauit, amissa quæ olim erant recuperando & quædam noua acquirẽdo, templa diuina partim ornando, partimq; ædificando, leges ciuitatis saluberrimas figẽdo, principum, regum, populorum beneuolentiam quærendo id efficit vt nauigatio & commertia patriæ, quocunq; se vertant represſis piratarum insidijs violentiáq; obtrita latronum, iniuria conquassata sine aliquo impedimento proficiscantur: nam bonis ac rectè viuentibus Medicis Laurentij opera gratisſima sunt, malis verò & peruersæ vitæ hominibus consilij prudentiæq; Laurentianæ acumen, pecuniarum copia, ingenij solertia, amoris aut odij constantia, tantum terroris incutiunt, vt nemo iam à dicto Laurentij non dicam discedere sed ne discrepare quidem audeat. Sed hæc & alia quæ tantus vir egit & agit semper ad exaltationem patriæ, ad reipublicę emolumenta, ad conciuium ornamenta, ad salutem amicorum, ad vrbis agriq; decorem, ad firmandos bonorum, malorúmq; infirmandos animos, ad communem vtilitatem directa sunt: ipse nanq; priuato habitu, ciuili mansuetudine, animo miti atq; iucundo summis, infimis,

ſimis; mediocribúſq; ſe charum acceptúmq; præbet, nullus enim in eo faſtus, nullum ſuperbiæ veſtigium, nulla arrogantiæ ſcintilla vnquam apparuit: ipſe nanq; virtutibus cumulatus, imo ipſa virtus quoſdam à ſe aliquando alienos beneficijs leniuit ac demulſit, vt iam veri amici iudicentur. In fortuna enim regia, in diuitijs opibúſq; ſummis, in potentia maxima, in ſucceſſu rerum qui ciuiles animos gerit ſimillimus Deo cenſendus eſt, quippe ſecundæ res ſapientum animos defatigant teſte Saluſtio: Hæc autem quæ diximus omnia in magnifico Laurentio cum maxima humanitate & eruditione ſeruantur, nemo enim tam abiectæ ſortis eſt qui Laurentium adire non poſsit, cùm ædium fores pateant ſemper: & ſingulis quibuſq; diebus per vrbem ciuili humanitate deambulans ad ſui colloquium, ſpémq; ſubſidij fauoriſq; copiam vnumquenq; inuitat, verborum parcus, rerum verò benigniſsimus largitor & autor: ita vt omnes Florentiam ex Fluentia nominatam rectè conijciant, cùm huiuſmodi flores pariat, qui vberrimos fructus rerum omnium honeſtarum ægentibus ſine mora exhibeant, ita vt de eo dicere

posſimus, quod Plinius de Metio Curtio narrat, his verbis, eadem autem fortuitò adiuuit in medio foro, quaſi ſidentia imperij fundaméta oſtento fatali, quæ Curtius maximis bonis, hoc eſt virtute ac pietate ac morte præclara expleuerat. Hiatũ ergo illum minitantẽ patrię Metius Curtius ſe deijciendo in eum expleuit, vt hiſtoriæ clamant & Virgilius in Culice:

Curtius & Metius quẽ quondã ſedibus vrbis,
Deuotum bellis conſumpſit gurges in vnda.

Sic & Iuliani morte & ſanguine Laurentij, ciuitatis fundamenta iam conquaſſata, reſtituta ſtabilitémq; ſortita ſunt.

De quibuſdam minimis non inutilibus in quibus plurimorum errata corriguntur.

CAP. XXVIII.



AM pleriſq; arduarum rerum ſermonibus defatigati, cupimus recreari aliquantiſper, vt iterum opus noſtrum alacrius aggrediamur: vnde minuta quædam reficientia magis quàm defatigantia ingenium recenſebimus, vt viribus quodammodo recuperatis ad maiora tendamus. Interea ea tractabimus quæ ſine laſsitudine ſcribuntur, & vt à Priſciano ſit initium, qui artem grammaticam rectiſsimè

percal

percalluit. Cùm ait,philoſophi definiunt vocem eſſe aërem tenuiſsimum, ictum, dicimus deceptum fuiſſe ab Ariſtotele, quem hac in re Auicenna iugulauit, cùm ait ſonum non eſſe aërem ictum,aut ſciſſum, ſed accidens quoddam ex hoc aëris ictu proueniens,& vt mea fert opinio rectè: vox igitur eſt accidens ex ictu aëris natum, & ideo commune eſt vocabulum ad inanimata quoq; ſpectans.Virgil.

-fractasq; ad littora voces, Sonum nanq; tria efficiunt, verberans, verberatum, & intermedium, ita tamen, vt verberans & verberatum ſoliditate duritiéq; conſtent, pili enim pilis & lana lanæ impacta ſine ſono ſunt, abeſt enim cum ſoliditate durities.Præterea ſi alterum molle,alterum verò durum ſolidúmq; ſimul confligant, nullus erit ſtrepitus, nec ſonus: ſi lanam lapidi inflixeris, nullum efficies ſonum, ſed in ſolidis & duris aëre intermedio percuſſo ſonus erit: nam huius elementi agitatio frequénsq; motus ſonitum creat, nam ſi virgam lente in orbem duxeris nullam vocem efficies, ſed ſi eadem cum acceleratione rotetur reſonabit,quoniam aër accelerato rotatu virgæ motus,denſatur ac ſolideſcit, ita vt duo ſolida confligant,

gant, & eodem modo in ventis accidit, Aër enim inundans ſpiſſatur ventum faciens, parietibus arboribus've & alijs huiuſmodi ſolidis illiſus eſt vocalis, ſicut aqua maris cum ad littora voluitur: huc etiam accedat neceſſe eſt alia conditio, hæc enim ſolida cum intermedio ſonum faciunt ſi latam habuerunt ſuperficiem, alioquin ſurda ſunt, acus nanq; in acum impacta non tinnit teſtimonio philoſophi: & Grammatici hac de cauſa æs metallum nominant hoc eſt, aërem, ſ, nanq; &, r, inuicem ſibi cedunt, vt labor labos, honor honos, aër aes: omnibus enim alijs canorius metallum eſt propter occultos meatus ex raritate ſortiens aërem plurimum in ſe cõtinens reſonat, vnde poëta,

-ſimul ære canoro

vtitur, Nec nos diphthongus turbet, ſæpe enim ſoluitur, vt,

Littore ahena locant alij:

& quandoq; inculcatur, Virgilius,

Fixerit æripedem ceruam licet aut Erimanthi
placarit nemora: pro aëripedem, ab aëre intelligens propter celeritatem motus. Aes igitur & aër idem eſt vt declarauimus: nam aurum argentum, ferrum, Chalybs, omniáq; metalla æris comparatione,

ne, ſine voce ſunt, Meritò igitur huic metallo nomen elementi ſine quo vox eſſe non poteſt Grammatici accommodarũt, tanquam canoro ac tinnienti: nam tinnitus ab alijs ſecernit. Perſius,

Ne qua ſubærato mendoſum tinniat auro.

aurum nanq; id ſubæratum dicitur, cùm ſuperficies quidem aurea, ſubtus verò æs eſt, quod tinnitum efficit: vbi igitur aër non eſt, ſonus minimè eſſe poteſt, & ob hanc rationem & Pythagorici & Cicero in ſexto de Republ. & Plinius vt philoſophiæ exactæ expertes reprehenduntur. Nam Ariſtoteles, his argumentis Pythagoricos & eorum æmulos arguit, Sonus eſt verberatio aëris: in cœlis non eſt aër, nullus igitur eſt ſonus. Præterea vbicunq; eſt verberatio, ibi etiam eſt alteratio, in cœlis nulla eſt alteratio, contenti enim ſunt forma ſua, & ideo ingenerabiles & incorruptibiles: nullus igitur ibi ſonitus. hactenus de cœlis. Veruntamen Pythagorici & eorum imitatores quadam veriſimili non tamen efficaci ratione ſe tueri poſſunt, in cœlis nanq; diuerſi ſunt orbes vt deferentes: epicycli, excentrici diuerſitate motuum, & quadam, vt ita loquar, confricatione concentus iucundiſ

cundiſsimos fieri arbitrantur: ſed Ariſtoteles naturalis ſapientiæ cultor id verum eſſe putauit, quod naturali argumentatione monſtratur: hinc eſt quod eius doctrinam omnes ferè gentes potiorem reliquis iudicantes per excellentiam nomen Philoſophi indiderunt, quem Auerrois maximè extollit, cum à mille quingentis annis, tot enim inter vtrunq; interfuere, non eſſe in eius dictis errorem alicuius momenti inuentum aſſerat. Ingens profectò laus, cùm à tanto viro, vt Auerroidem cognoſcimus, proficiſcatur: attamen nonnulla etiam errata à Galeno, Auicenna, à Scoto in codicibus Ariſtotelicis tam in medicina quàm in naturalibus depreſſa ſunt: hæc enim philoſophis conueniunt, quos etiam morum excellentia perficit, imo cùm philoſophiam nũcupamus, moralem intelligimus: quam etiam leges ſe habere gloriantur, nam in libro Digeſtorum aiunt, veram & non ſimulatam philoſophiam affectantes: ſed hac in re non quo ad doctrinam, ſed quo ad vſum qui hominẽ perficit Ariſtoteles corruit. Maximum enim flagitium Ariſtotelis fuit cùm Theodecten prodidit: nam cùm ei libros Rhetoricorum donaſſet, vnde glo-

ria creuit, inuidia commotus Aristoteles donatum ad se reuocauit: omnes enim Theodectis opus illud putabant, cùm in quodam loco librum attestatus ait, sicut diximus in Theodecte: vnde Valerius Maximus ait, nisi tanti viri reuerentia me teneret eum alteri philosopho edocendum traderem. Præterea philosopho impingitur Alexandri Magni illius discipuli mors. Solus enim Aristoteles veneni, quo perijt Alexander, naturam tenuit, cùm illa aqua mulina tantum vngula teneri posset, reliqua omnia perforans, de his satis. Sunt quidam grammatici qui magnis conflictationibus agitantur in disceptatione quantitatis syllabarum, quos sæpe reprendimus: & tamen vt audio in sententia permanent, diximus sæpe & in libris à nobis editis testimonia Satyricorum in syllabis non esse valde idonea quoniam eorum dicta ab antiquitate pendent: Satyræ enim loco veterum comœdiarum successerunt, & præsertim earum partium quas chorus gerebat. Comici poëtæ ex arte quadam in syllabis peccant, vnde Terentianus ille tantæ autoritatis vir, vt eius testimonio de Varronis doctrina Augustinus innititur, allegat enim

enim doctißimus ac sanctißimus vir carmen, quod Terentiani esse ait, vir doctißimus vndecunq; Varro, hic inquam Terentianus, qui de omnibus generibus carminum suo genere scripsit, cùm ad comicos venit, ait, vt ea quæ dicunt sumpta de vita putes, violant iambum tractibus spondaicis, in metro peccant arte, non inscitia: non erit ergo mirum cùm in Persio & Iuuenale & alijs syllabarum peccata deprehendantur: sunt enim vt diximus veterum comœdiarum successores, vt Persius, eo loco:

Cantare credas Pegaseum melos,

quod quidam volentes emendare duplicant, l, quod apud Latinos non est vitiosum, vt

-Infelixq; Allia nomen,

& Lucanus de eodem fluuio,

atq; Aliæ clades, sicuti Porsena dicitur & Porsenna & alibi:

Findor vt Arcadiæ pecuaria rudere dicas:

& alibi,

somnia, pituita quæ purgatißima mittunt:

& hoc quoq;

non prætoris erat stultis dare tenuia rerum,

cùm rudere prima breui Ouidius,

vt rudit ad scabram turpis asella molæ:

& Hor

& Horatius,

-tunc cùm pituita molesta est.

Iuuenalis autem,

-cùm possis honestius illic: & alibi,

dispositis prædiues hamis: & alibi quoq;

& domini gladijs iam destinata, cùm sis syllaba sit longa, & hamus prima etiam producta vtatur, & ipse quoq; Destinat hoc monstrum, dicit, non sunt igitur horum testimonia idonea satis propter illud Terentiani dictum, & Satyras vicem comœdiarum veterum tenere omnes quotquot sunt minimè ignorant,& hoc quoq; delusit Seruium qui Persio credens alios contra regulam corripuisse ru,in rudere sensit. Pręterea apud vetustißimos,e,&,i, quadam germanitate iunguntur,dicimus enim amante vel amanti, legente vel legenti, & sic de cæteris, vt Cæsareus & Cæsarius, Virgilius Vergilius,vt in codicibus reperimus, imò dicit Festus, quòd amicus & amicitia per, i,& per, e,dicuntur, vt amecus & amecitia : habuimus etiam aliquando cum Philelpho disputationem, quam qui vult scire legat nostram in eum inuectiuam,vbi omnes eius errores annotauimus : quoniam conatus est quædam nomina propria, Græca tamen

men,more Grę̨co apud nos ponere,quod est vitiosum in his quæ Latinitas more suo adaptauit, dicere enim Odysseum & Aeantem pro Vlysse & Aiace apud nos conclamatæ dementiæ esset,si quis enim diceret apud Ouidium, est concertatio de armis Achillei Aeantis cum Odysseo videretur helleboro indigere. Latinitas enim, quæ à Græcis accipit aliquando detruncat, plerunq; mutilat, sæpe literas transponit: nam Latinus minalionem & non milanionem, Herculem & non Heraclim dicit, & sic de alijs. Infinita penè sunt quæ in vetustissimis codicibus scripta inueniuntur, alio modo, alióq; syllabarum ordine, & truncata & mutilata & permutata reperiuntur. Hoc volui dixisse, ne in hac re tempus teramus, diuersæ enim linguæ non modo vitiant propria, sed aliquando alio nomine appellãt, Pœni Eparchum dicunt Abrachim,& quem nos Artaxerxem historia sacra Assuerum regem,& quem nos Boccorum ipsa Pharaonem nominat, & Phison ibi est quem nos Gangem dicimus, & non modò linguarum diuersitas propria variat,vt Germani Ioannem Hansen vocant,sed vocabula quoq; appellatiua pro diuersis facul-

tatibus

tatibus variant ſignificationes, ita vt idem ſibi aduerſari videatur, & propter hanc cauſam doctiſsimi viri cum quadam veniæ præfatione loquuntur: vnde Boëtius in libro de Trinitate ait, & quidem ſecundum hunc modum vnam trinitatis eſſentiam, ſed tres ſubſtantias tréſq; perſonas, niſi tres in Deo ſubſtantias Eccleſiaſticus dicendi modus excluderet. & Auguſtinus in libro Retractationum ait: cùm dixi, quandoq; eſcarum cerimoniæ, quod nomen non eſt in vſu literarum ſanctarum, ideo mihi congruens viſum eſt à carendo appellatas cerimonias memoria tenebam: eo quòd obſeruantes careant his rebus à quibus ſe abſtinent, quòd ſi eſt origo alia huius nominis quæ abhorreat à vera religione, ſecundum hanc ego non ſum locutus, ſed ſecundum iſtam quam ſuprà commemoraui: & hoc non modo in ſacris, ſed in alijs quoque diſciplinis accidit: nam vt prætercam totam illam de verborum ſignificatione Rubricam in legibus, ibi enim ſunt addictæ iuri ciuili ſignificationes quædam, cùm vſurpo verbum apud oratores etiam bonæ ſignificationis in frequenti vſu ſit, & apud Iureconſultos vſurpare eſt con-

tra ius accipere. Dæmon & dæmonium, vt est in Euangelio, in nomine meo dæmonia eijcient, quanquam sapientiæ & nequitiæ nomina sint, tamen vbiq; in sacro eloquio peruersæ significationis habentur. Sed reticere non possum cùm videam etiam sapientes viros errore inuolui, quoniam legerunt tantum, sed caruerunt experientia: vnde Plato in anatonia errasse cognoscitur, & in describendis dæmonibus hallucinatur, putans meridionales spiritus bonos, cùm pessimi sint, & in turpissima forma appareant (vt iam diximus) & omnes in exercitatione magiæ artis oculis viderunt: nunquam enim bonum operantur nisi coacti. Regnum cœlorum quod sæpe in ore Christi fuit non est communis significationis Christianitati cum reliquis, nã stellantis regia cœli de superioribus intelligitur apud Virgilium, & in sacro eloquio pro ecclesia militante, quæ præsentis temporis est, ponitur: de quo dominus ait, mittet filius hominis angelos suos vt colligat de regno eius omnia scandala: neq; enim, vt Gregorij verbis vtar, in illo regno beatitudinis in quo pax summa est inueniri scandala poterunt, quæ colligantur: & rursus

rursus dicitur, qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum, mandatum quippe soluit & docet, quando hoc quis voce prædicat, quod viuendo non implet: sed ad regnum beatitudinis æternæ peruenire nō valet, qui non vult opere implere quod docet, quomodo ergo in eo minimus vocabitur, qui in hoc nullo modo intrare permittitur? Per hanc igitur sententiam præsens ecclesia regnum cœlorum intelligitur, quia cuius vita despicitur, restat vt eius prædicatio contemnatur, vt ait Gregorius. Lex in iure & in communi modo loquendi sine nomine autoris est sanctio & quædam viuendi regula à populo Romano lata. Sed Christus cùm ait habetis in lege vestra, ego dixi, dij estis, scripturas omnes sacras legem nuncupat, & alio in loco distinguens legem à prophetis inquit: in his duobus præceptis lex pendet & prophetæ. fatum quod nomen ecclesia abhorret quãquam significatum probet, cùm pro re mutabili ponitur, vt est illud Virgilianum,

nec fata vetabant
stare decẽq; alios Priamũ superesse per annos.

Ecclesiasticus dicendi modus, sententiam Dei vocat, quæ mutabilis est, vt in Niniuitis apparuit, fatum verò quod euitare non potest, de quo Iosephus de bello Iudaico : Aderat dies fatalis templi, qui fuit vndecimus Augusti. In sacro eloquio cõsilium Dei nominatur, quod nullo pacto variatur, quale fuit illud in ciuitatem Hierosolymitanam à veritate prędictum cùm fleuit & dixit, si scires & tu : & alia quæ passim in sacra scriptura occurrunt. Sed illud quod Senecæ est in tragœdijs, quicquid facimus mortale genus, quicquid patimur venit ex alto. Christianitas alio modo loquitur, vnde in Euangelio respondet Ioannes, & dicit: non potest homo accipere quicquam nisi fuerit ei datum à cœlo. & idem Iosephus ait, sed irridebat eos fatale decretum, quod templum illud, iam dudum igni damnauerat. Criminator qui Græcè diabolus dicitur, nunc princeps huius mundi, aliquando rector tenebrarum, sæpe Sathan & Leuiathan multisque alijs nominibus appellatur, sed à poëtis Satanas vocatur Proserpina, & Belsabub, qui est princeps dæmoniorum, à nostris dicitur Pluto. de his hactenus. In philosophia causarum

mentio

mentio alia eſt ab oratoria facultate, cauſæ enim Ariſtotelicæ quatuor ſunt, efficiens, formalis, materialis, finalis, ſed autore Galeno quinq; ſunt: nam & inſtrumentalis additur. Seneca verò enumerat ſeptem, addit enim localem & temporalem cauſas, quaſi irridens Ariſtotelem: minima enim non debet inter cauſas numerari, nam præter efficientem & formalem cauſas, aliæ videntur quodammodo pediſſequæ, ſicuti nihil ſine loco & tempore & inſtrumento fieri poteſt. apud oratores verò ſunt tria genera cauſarum, demonſtratiuum, deliberatiuum, iudiciale: tria hæc genera dicendi ſunt muneris oratorij, & rurſus vnumquodq; iſtorum in quatuor genera ſecatur, honeſtum turpe, dubium & humile. Grammatica quam tantopere extollit Quintilianus, & iure, teſte philoſopho in ſexto Topicorum, eſt ſcientia ſcribendi & pronunciandi, quod profertur: nomen, verbum, participium, pronomen, præpoſitionem, aduerbium, interiectionem, coniunctionē partes orationis vocat, ſed orator hoc nomine exordium, narrationem, diuiſionem, confirmationem, confutationem, concluſionem nuncupat. Figuras grammatica, ora-

toria verò colores eloquendi flores dictitat. Beatus grammaticè ab habendo, vt *vetulæ vesica beatæ*, diuitias humanas: sed theologicè cœlestes opes, & eum de quo diximus felicem in sui significatione concludit. Synteresis penultima longa quam apud græcanicam pronuntiationem theologi, t, in, d, conuersa synderesin vocant, à grammaticis dicitur defensio: in theologia verò est illa conscientiæ mens, quæ tentationes omnes, cunctáq; inquinamenta à se ipsa repellit, & hoc modo se à flagitijs tuetur, vt sese ab omni labe peccati mundum seruet. Conscientiam nunc diximus more sacrorum doctorum, cùm apud alios ambiguæ sit significationis. Salustius de Catilina, Nunquam animus impurus dijs hominibúsq; infestus neq; vigilijs neq; quietibus sedari poterat, ita conscientia exagitatam mentem vastabat. Ouidius in libro Fastorum, cùm ait,

Conscia mens vt cuiq; est ita concipit intra
Pectora profectò spemq; metumq; suo,

ad bonum malúmq; trahit. Humilis apud Latinos abiectus & vilis putatur: in sacris verò is est, qui ex quadam innocentia, quæ iustitiæ pars noscitur, & ex humanitate,

tate, non autem ex animo pusillo (hîc enim versaretur vitium) in honoribus alijs cedit, alijsq́; tribuens subijcit se. In medicina semen humanum in matricem sparsum vocatur humor seminarius siue spermaticus, Cùm autem iam in partes secatur, vt cordis, iocinoris, cerebri signatæ sint lineæ, fœtus nuncupatur: cùm autem distincta sunt omnia vt diuersa diiudicentur membra, embryo siue embryum Græcè dicitur. Cunctorum autem distinctè apparētium membrorúmq; iam absolutorum conceptus nomen est, & huiusmodi apud medicos ordo seruatur: sed alijs facultatibus humor seminarius conceptus, fœtus aliorsum nonnunquam subseruiunt. Conceptio animi communis apud grammaticos est ea qua animi cogitatio exprimitur: In geometria verò est quędam enuntiatio, quam quisq; probat auditam, & hæc duplex est: alia nanq; peritis pariter & imperitis publica communisq́; est, vt omne totum est maius sua parte, &, si ab æqualibus æqualia detrahantur, quæ reliqua sunt adæquantur, nemo enim tam hebes obtusúsq; est qui sine hæsitatione vera hęc esse neget. Alia autem est peritorum dun-

taxat, vulgus enim capere non poteſt, vt ſi dicam incorporea in loco eſſe non poſſunt, & diuerſa ſunt eſſe, & id quod eſt, nam ipſum eſſe nondum eſt: at verò quod eſt accepta eſſendi forma conſiſtit & eſt. Item id quod eſt, participare aliquo poteſt, ipſum autem eſſe nullo participat: fit autem participatio cùm iam aliquid eſt, nam tunc aliquid eſt, cùm ſuſceperit eſſe, & eo participauerit: huiuſmodi autem conceptiones eruditis tantum communes ſunt: ipſi nanq; ſtatim aſſentiuntur, nihil eſſe poſſe niſi formam eſſendi induerit: ab eſſe igitur manat cùm ipſum eſſe à nullo defluxerit: eſſe igitur dicitur prius eo quod eſt, quoniam illud quod eſt, hac ratione exiſtit, quia eſſe accepit, eſſe igitur & eſſentia, vt prius & poſterius inter ſe differũt: nam eſſentia eſt quia eſſe participat cum eſſe à nullo dependeat. Genus in Grammatica ſexuum diſcretionẽ: in dialectica verò vnum quod ſub ſe ſpecies continet, & eſt nobilitas, Horatius,

Et genus & formam regina pecunia donat,

vnde degeneres ignobiles appellantur. Genus autem & nobilitas propria ſunt familiæ Mediceorum, nam teſtimonio Ariſtotelis in libro Politicorum, Nobilitas

tas est virtus & antiquæ diuitiæ: Virtute præditos Laurentium & patrem & auum & maiores fuisse partim vidimus, partim verò audiuimus, & amplissimas diuitias habuisse etiam nouimus: habet ergo Mediceorum familia nobilitatem, quandoquidem & virtutibus & antiquitate diuitiarum pollet: ex hac igitur Aristotelica definitione homo nouus diuitijs nuper acquisitis non esset nobilis ciuiliter, hæc enim ciuilis est nobilitas, sed philosophicè, vt Satyrici dicto vtar, nobilitas sola est ac vnica virtus: quocunq; igitur te vertas Mediceorum familiam nobilitate cōspicuam videbis, in qua plurima virtus semper enituit. Auerrois inter cætera, quæ Aristoteli tributa sunt, in principio de Naturali auditu, qui physicorum more iuniorum est, dicit de nominibus minimam fuisse curam, quod dictum putatur, non quia aut grammaticam aut oratoriam, aut dialecticam neglexerit, hæ enim sermocionales sunt, & nominum curam gerunt, ne quid fallax, aut ambiguum aut obscurum, aut asperum, & inusitatum in medium veniat: nam à quibusdam doctissimis Aristoteles aureum flumen in eloquentia putatur, sed quo-

niam pro rerum necessitate noui verbi aliquid finxerit, quod profectò laudabile est: nam & Horatius Flaccus ait,

–licuit semperq; licebit,

signatum præsente nota producere nomen.

Rectè igitur in de Predicamentis à remo remitum pro necessitate formauit. Sed hoc quidam iuniores nimium vsurpant, vt passim legentibus occurret, formant enim vocabula sine notæ & sigilli præsentia, vt à virtute virtuosum: nam si signum & nota intercedant nullo pacto producetur, à sinu enim & fructu, sinuosus & fructuosus rectè dicuntur datiuo aut eorum ablatiuo osus addita, virtus autem & monstrum non sunt talia, vt huiusmodi deriuationes signentur, à monstro enim monstrosus trisyllabū est. Lucanus,

monstrosiq; hominū partus numeroq; modoq;,

& de alio sic loquitur Boëtius super Predicamentis Aristotelicis, In eo autem qui virtute participat nulla virtutis denominatio est, vt qui bonitate participat bonus dicitur, & qui iustitia iustus & alia hoc modo, qui verò virtute participat, aut probus nominatur, aut sapiens, sed nec probus nec sapiens à virtute denominata sunt idcirco, quia vtrunq; nomen à vir-

tute

tute longè dissimile est. hactenus Boëtius. Sed multi ex iunioribus, & hæc & deteriora fingunt & maximè Scotus:nam nō omnia ab omnibus aptè produci possunt vrgente etiam necessitate, si enim ab autumno autumnitatē, & ab hyeme hyemalitatem, & à beo,as,beatitudinem siue beatitatem quæ omnia antiquitus formata sunt,non incōcinnè dicemus :sic etiam quæ noua sunt vt realitas,deitas, quidditas, entitas non absq; sigilli impressione prouenient,scimus nanq; quod hyemalitas,quàm hyems,& humanitas quàm homo,& scurrilitas quam scurra aliud sunt, sed omnia asperiora vsu mollescunt. imo Augustinus duodecimo de Ciuitate Dei, pro vsia Græcè dicta essentiam nouo vocabulo dictam refert : vnde cum triticei panis copia denegatur, necesse est ne fame periclitemur,aut hordeaceo aut deteriori pascamur. In quo qui profitentur grammaticā,si peccant penitus reijciendi sunt : Grammatica enim vsum habet & artem, quæ in vsu sunt etiam pueri non ignorant : Sed quæ ex arte dicuntur,non nisi à peritissimis viris tenentur, exempli gratia. Ciuitas Venetiarum non est in antiquis, si ab eo nomen patriæ volumus

forma

formare nullo modo dicetur Venetus, quoniam ratio artis repugnat: nam nomina prouinciarum siue regionum formant ex se gentile pauciorum syllabarum quàm sit regionis nomen, vt Italia Italus, Germania Germanus, Hispania Hispanus, Venetia Venetus. Sed ab vrbibus quæ formantur aut sunt plurium aut æqualium syllabarum, pauciorum nunquam: sed de insulis alia ratio est, sicut ostendimus in Inuectiua contra Franciscum Philelphum patrem, itémq; contra filium Marium, vnde à Roma Romanus, à Brixia Brixiensis, à Spoleto Spoletanus, à Florentia Florentinus, quod æquale est, & sic à Venetijs Venetianus aut Venetiensis aut Venetinus dicenda sunt. Sed Ithacensis, Romanensis, Hispaniensis alterius conditionis sunt, non enim talia nomina ciuem aut loci illius hominem tantummodo signant. Et à partibus maximis mundi talia non formantur, vt ab Europa & Asia, Europeus & Asianus vel Asiaticus, & ab Aegypto Aegyptius. Alia sunt nomina, ab Africa Afer, non mirum cũ pars Europæ ab antiquitate putata sit, & Salustius meminit. Verbum generale nomen est, ad ea omnia quæ dicuntur, vt

bona

bona verba quæso, inquit Terentius, &,

-verba dat omnis amans,

Nasonis est. Sed præcipuè id quod temporibus variatur, hoc nomen habuit, quoniam est tanquàm moderamem locutionis: nam si mille nomina simul iunxeris, & verbum reticueris nihil dices, vt aurum, argentum, æs, lignum, aqua, & alia nisi verbo modereris, vt sunt vel cupiuntur vel affectantur, nihil profectò erit: iure ergo per excellentiam quod alijs commune est sibi vindicauit propriúmq; effecit, habétq; significationem & mentis & oris: mentis autem cùm significat conceptum animi, Virgilius in Bucolico,

cùm canerem reges & prælia,

pro, conciperem canere, & in Aeneide,

-lacrymis ita fatur obortis.

Tene, inquit, miserãde puer, cùm læta veniret
Inuidit fortuna mihi: primùm enim ad conceptum, secũdum autem ad oris pronuntiationem spectat, & hoc frequentissimum apud autores est: vnde & Seruius & Donatus & Priscianus maximè in his delirant, cùm vacare putent: nam & in sacris est, quibus iuraui in ira mea si introierint in requiem meam, hoc est intrare conceperint, & hoc modo & mentis

&

& oris verbum dicitur, ſicuti latiſsimè locuti ſumus in libro de Incognitis vulgò, vbi trinitatem deſcripſimus. Noſter, noſtra, noſtrum, pronomen duplicem habet ſignificationem, quarum altera leuis & vulgaris, altera verò exactiſsimæ ſapientiæ eſt: nam cùm dicimus mala noſtra, ærumnas noſtras, ſcabiem, & alia huiuſmodi, intelligimus quæ nos lædunt, nos affligant, vel quoquo modo incommodant. Sed cùm proprietatem poſſeſsionis gerit nunquam ad mala deflectitur, malum enim & offenſiuum nulli proprium eſſe poteſt: nam hoc pronomen proprietatem attributionémq; quandam ingerit: malum autem & quod læſiuum habetur nullius proprium eſt. Id enim proprij appellatione tenetur, quod in ſubiecto cauſam propriam ac præfinitam poſsidet. Mala ac lædentia infiniti & indeterminati, bona verò finiti ac terminati cauſam gerunt, teſte philoſopho in Ethicis. Præterea malum veram eſſentiam non habet, quoniam defectum & priuationem boni indicat & hac ratione nec poſsideri, nec alicuius eſſe poteſt: nemo enim operatur ad malum tendens, cùm omnia bonum appetãt. Eſt inter plebeios quod-

dam

dara prouerbium valde vsitatum. Omnis repletio mala, panis verò pessima, nec est alicuius autoris dictum, attamen ratione non caret, ad ea referendo quæ in vsu communi sunt, hoc est carnem: nam Auicenna huic sententiæ astipulatur, tertia Primi his verbis: Amplius scire debes quod impedimentum panis cum non digeritur est multum, sed carnis nutrimentum cum non digeritur est minus hoc, & de pane est etiam distinctio, quoniam secundarius, quo pane Cæsar Augustus libentissimè vtebatur, non ita cum periculo replet, sicut alius melior, furfur enim similæ admixtus lubricum efficit, ita vt celerius excernatur, testimonio eiusdem autoris & loci. Hoc carmen

Incidit in scyllam cupiens vitare charibdim,

est Gualteri Galli de gestis Alexandri, & non vagum prouerbium, vt quidam non omnino indocti meminerunt. Persona & dialecticè & oratoriè in idem recidit: & cùm à personando dicatur, resonat enim vox inclusa & repercussa in oribus ex cortice cauato, alia've materia factis, cũ vultibus nostris applicantur, de quibus Virg.

oraq; corticibus sumunt horrenda cauatis,

nam in dialectica est indiuidua rationalis

subst

ſubſtantia,& apud oratores eſt quæ in iudicium ducitur, cuius factum dictum've aut probatur, aut improbatur, ita vt cum dialectico orator in ſignificatione concordet: nam perſona totum hominem, aut Deum, aut aliam quampiam ſubſtantiam rationalem indicans, nomen ab vna parte accepit, quanquam habitus diffundatur. Horatius.

Perſonamq́; trahit non inconcinnus vtranq;.

Nam & in theologia diſtinctis patris ac filij ſpiritúsq; ſancti perſonis frequens eſt ſermo. Imago cùm non modò ſimilitudinem quæ diuerſitatem habet, omnia nanq; ſimilia ſunt diuerſa, ſed ad interiora delabens diuerſitatem excludens idem dicit, & cùm homo ad effigiem Dei factus ſit propter diuerſitatem dicitur, ſimilis: corporea enim mole Deus nullo modo grauatur, cùm eius anima æternitatem ſortiatur, particulam diuinitatis accipiens imaginem Dei habere creditur, quod & ſacra narrat hiſtoria, & Ouidius de homine.

finxit in effigiem moderantũ cuncta Deorũ,

& hinc ergo eſt quod Deus ait, faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudicem noſtram, imago igitur referens illũ, cuius formam

formam personámq; induit, an in templis Romanorum semper fuerit reuocatur in dubium, cùm alij asserant. Eusebius verò de Euangelica præparatione negat, cùm centum septuaginta annis ab Vrbe condita nulla imago ficta aut picta in templis Romanorum respici potuerit: sed vtcunq; res se habeat, posteriores pingentes aut fingentes Deorum statuas non caruerunt ratione, quandoquidem magi (nam magia religio Persarum est) experimento longo inuenerunt vitas illas supernas, aut spiritus, aut dæmones facilius venire, cùm suas imagines siue perfectas siue imperfectas recognoscũt: imo à nonnullis in arte magica peritis asseritur, nullo modo accitos venire nisi characteres proprios destinatósq; eis intellexerint. Character autem vt Magnus ait Albertus, nihil profectò est aliud quàm imperfecta imago: & hinc est quod & Iuno & alij spiritus imagines suas vel ligneas vel marmoreas, vel alia quauis materia fabricatas habitarunt, ita vt aliquando responderint, sæpe emicuerint, nonnunquam interrogantibus annuerint, renuerint, vt legentibus historias occurrit: hæc ad vnam tantum magiæ partem spectant:

 sed

ſed cùm ad res naturales vimq; herbarum ſe vertit, aliam ſui partem indicat: pro quo ſciendum eſt pocula amatoria vel aliud operantia non niſi illis obeſſe quibus datum eſt ab aſtris: vnde ſæpe accidit, vt in vno operentur, & in alio nihil efficiant, ſicuti etiam Albertus Magnus aſſerit. hinc illud Propertij,

ſeu mihi ſint tãgenda nouercæ pocula phædræ,
Pocula priuigno non nocitura ſuo.

nunquam enim phædra poculis amatorijs Hippolytum in amorem ſui attraxit, de his ſatis. Nam ad ea reuertor quæ riſu ſunt digna. Nam quidam ex amicis libros ſcripſerunt, in quibus videntur oſtentare ſe omnia vidiſſe & intellexiſſe, memoriterq; tenuiſſe & quos amiſimus libros, & etiam quos habemus: negant enim quædam apud Latinos reperiri, inter quæ ſaccaron eſt, quod eis viſum eſt in rerum natura non extare, quoniam vulgus per z, zuccarum enuntiat: ſed ab hoc incipiemus vt reliqua quæ Tortellius negat in capite de Horologio, proſequamur. Plinius duodecimo Naturalis hiſtoriæ, ſaccaron & Arabia fert, ſed laudatius India, eſt autem mel in harundinibus collectum gummium modo, nucis auellanæ magnit

magnitudine, ad medicinæ tãtum vſum: ſed Auicenna cautius loquitur, cùm de eo propriè mundificato id ſentiat, de ſaccaro audiatur Varro, qui verſibus plenis fidei, (vt ei quod Cicero Ennio tribuit impartiamur) eius naturam ſcitè deſcribit. Sic enim Varro ait:

Indica nõ magnũ nec in arbore creſcit harũdo,
Illius è lentis premitur radicibus humor,
Dulcia cui nequeant ſucco contendere mella.

ſed miſer Tortellius merus recitator nihil conſiderans quæ non aduertit, putauit nuſquam extare, digna enim riſu ſunt quæ ibi recitat: Negat nanq; cloſtrum quo equum aſcendimus Latinos habuiſſe. Lucretius quinto,

& prius eſt armatũ in equo cõſcẽdere cloſtris.

Cloſtra enim ſcala eſt, & id quod ab ephippijs ad ventrem vſque equorum pendet aſcenſuro in equum vt ſcala facilitatem præbet. Soleas etiam equorum nuſquam miſer legit, nec illud Suetonij vnquam in vita Neronis apertis oculis vidit, de quo ſic ait: nuſquam carrucis minus mille feciſſe iter traditum eſt ſoleis mularum argenteis. & illud etiam non legit, ad calceandas mulas remanſerat: nunquam igitur ſoleas ferreas vel

argenteas mulabus, aut equis calceatis annexas audiuit. Sebare autem candelas, in tertio libro Lucij Columellæ, si eius oculis occurrisset tanquam monstrum quoddam apparuisset. Tintinabula etiam in Suetonio in vita Augusti surdaster Tortellius non audiuit: æs Campanum quod Campania inuenit, vnde campana tintinabula dicuntur, rerum ignarus coniectare nequiuit: sed si, quem aliquando nominat, Auicennam vidisset, succurrisset ei pro tintinabulo nolam positam. Nola enim Campaniæ est vrbs, quasi Campano ære constantem. Follem autem, vt in Martiale sæpe legimus, audiuit nunquam, negat enim tales orbes scorteos, vt pilas quæ inflantur, reperiri. Cottum autem vt apud medicos in vsu est pro eo quod similitudinem habet bombycis ex quo pannus bombycinus est, vt literarum cæcus prætermisit, & in vno hæsitauit quo maximè indigebat: nam qui ex senio hebetiori sunt visu adminiculis in legendo indigent, vt vel ex crystallo vel ex vitro vel lapide speculari confecta grandiores literas faciant, nam siue super literas trahantur, siue naso appendantur, ocularia sunt adminicula. Nam

apu

apud Latinos ſæpe accidit, vt vocabulum, quod commune eſt, particulare fiat. Multa & illius & aliorum errata refellerem, niſi linguæ vernaculæ toties iam in medium progreſſæ faſtidio afficerer. Saccaron igitur olim ad vſum tantum medicinæ, quod mel harundineum quidam vocauerunt, temporibus noſtris omnibus ferè conuiuijs familiare eſt, imo iam tritum eſt prouerbium: nullorum eſculentorum iucunditatem ſaccari admixtione comminui. Caſia & alba & nigra ex virga robuſti libri cortex eſt, cinnami ſimilitudinem gerens, & hæc in vſu medicinæ olim fuit, & apud Galenum, & apud Cornelium Celſum eo antiquiorem, inferiorem tamen Themiſone & Aſclepiade. Hęc igitur caſia cortex etiam nunc medicamentis vtilis caſiæ herbæ ob odoris ſimilitudinem nomen impoſuit, de qua Virgilius,

nec caſiæ liquidi corrumpitur vſus oliui.

vnguēta enim huius admixtione fiebant. Sed ea quæ medulla dicitur caſiæ quæ nunc in maximo vſu eſt, probatiſsima in æſtate, Hippocratis, Cornelij, Galeniq́; ætate cognita non eſt, & ſic nullius fuit vſus: ſed fiſtularum caſiæ, quaſi mel ni-

grum vtilissimum est, & maximè in sedandis doloribus virtutem habet: admiscetur enim emplastris quæ fiunt cùm dimidia calua dolet, quam Græcitas vocat hemicranium: præterea vt nos sæpe experti sumus cùm dolor ex principio suppurationis infestat, si ex melle casia apponatur emplastrum sine alijs adminiculis maximè mitigatur. Citrum apud antiquos fuit in vsu frequentissimo, & Apitius sæpè suis escis admiscet, sed Plinius duo eius genera nominat, Medicum scilicet & Assyrium malum: sed Medici mali grana Parthyæ proceres in esculentis incoquebant commendandi halitus gratia, quod & poëta tetigit,

—& senibus medicantur anhelis. de quibus ita ait, XXIII. Naturalis historiæ. Citrea contra venenum in vino bibuntur, vel ipsa vel semen faciunt oris suauitatem, decocto eorum colluto aut succo expresso: horum semẽ edendum præcipuè in malacia pregnantibus, ipsa verò contra infirmitatem stomachi, & non nisi ex aceto manduntur, hactenus Plinius. sed post eum siue inscitia fecerit siue peregrinatio & nauigatio plura attulerit, tanta varietas apparuit, vt simul cum me-

lope

lopeponibus admiremur: nam & citrorum & melopeponum tanta copia tantúsq; vsus, & tanta diuersitas emerserunt, vt naturam adauctam esse etiam in alijs iudicemus. Nam citrangulorum mentio apud veteres non occurrit, sunt enim rotunda colore citreo, carnem habentia angulis distinctam, nec huius nominis videtur inepta compositio, ita vt citrangulum citrum angulare dicatur: nam angulus licet ex se substantiuum sit, tamen in compositione vim adiectiui obtinet. Martianus Capella,

sequiturq; triangulus ignis. & Auicenna citrum, & citrangulum in diuerso vsu aliquando habet, sed in toto volumine suo (quod amplissimum est) bis tantummodo citrangulum nominauit. Septima tamen Quarti, vtriusque potestatem in vnum confudit, cùm ait: loco aceti acetositas citranguli aut citri. Sed hoc sermone caue ne decipiaris, credens ex huius doctissimi viri sententia malè forsan intellecta æquam & citri & aceti vim ac potestatem esse, cùm acetum sit longè vehementius, cùm in veneno aspidum sit saluberrimum, quod non modò refrigerat, sed vim dissipandi habet: hinc illud

Satyrici de Hannibale,

- & montem rupit aceto, ſaxa enim igne concalefacta ſi aceto inſpergantur ſtatim in fragmenta diſsiliunt. Illud verò ſine nomine à Vergilio deſcriptum in Georgicis, cùm ait:

Flos ad prima tenax, ſub mali Medici appellatione comprenditur: illud etiam Maronis in Bucolico,

Aurea mala decem miſi, cras altera mittam, Græcè chryſomela dicta ſunt, cotonea cum inciſuris, duo enim genera ponit Plinius: ſed qui traduxit Auicennam Græcè & Latinè ignarus, Armeniaca quæ ſunt chryſomela vocauit in principio capitis, ſed inter loquendum reſipuit, Armeniaca nominans: lingua autem Punica illa nomine malorum aureorum vocat: ſed apud Latinos malum aureum eſt chryſomelum, hoc eſt cotoneum cum inciſuris, ab Armeniaco pruno, ſic enim libet appellare, forma & virtute diuerſiſſimum: nam Armeniaca æſtas, cotonea verò autumnus matura præbent. Armenica ſoluunt, chryſomela verò aluum ſtringunt. Ceraſa ab Auicenna negliguntur: de gummi tantum meminit. Plinius verò cum oſsibus deuorata ventris ſolutionem

tionem factura promittit: Sed Galenus modestius loquens ait: non omnium cerasorum eadē ratio est, quod ante ipsum Cornelius Celsus sensisse videtur, cùm cerasa diuersorū effectuum diuersa commemorat: nam libro secundo inter infrigidantia cerasa numerat, itémq; aluum mouentia: hæc videntur ex illa specie quæ in Italia ante Lucullum prius erant. Sed illa quæ à Lucullo aduecta ab vrbe Ceraso cerasa pomáq; Luculliana dicta, non mouent aluum, sed tantum refrigerant, imo cum ossibus deuorata stringunt magis, & vt plurimum hæc manu tractata tingunt. Luculliana ergo poma cerasa ab vrbe Ponti Ceraso: nam huiusmodi arbores familiares sunt, & in tota ferè Scythia cùm maturescūt nigricant, etiam sapore austero, illa autem quę prius erant in Italia citius maturescunt & varij saporis ventrem soluentia à rubore cornea dicta; postea confuso vocabulo cornocerasa vocata sunt, & tandem & illa Pontica & nostratia propter varias insitiones mutatámque naturam cerasa dicta sunt, relicta illa appellatione priori: & Galenus cùm omnium cerasorum non eandem esse rationem dixerit, de omnibus

vocabulo confuso locutus est, cùm tempore Plinij octo genera fuerint. Faseolos Plinius nullius vsus in medicina putauit, fortasis Vergilij motus carmine cùm ait: *-vilemq; faselum:* ita vt non ad copiam, sed ad medicaminis ineptitudinem retulerit: quæ res nos admonet, vt in ambiguo relinquamus. Phaselum nauiculam, de quo Catullus,

faselus ille quem videtis hospites,
aiunt fuisse nauium celerrimum,
nauiculam legumento nomen,
an nauiculæ legumentum dedisse:

Similitudo enim formę hoc fecit:nã phaselus legumẽ nauiculæ imaginem gerit, prora ac puppe sublimioribus, medióq; depresso in carinæ formam inferius restringitur,& huic legumẽto inter cætera Auicenna iuuamẽtum in coitu tribuit,& hac via eius vsum in medicina cognoscimus, nam eam inflationem facit quæ venerẽ stimulat. Luteus color dicitur croceus, sed croceus color sicuti alij, propter graduum latitudinem cum maxima difficultate mõstratur, alius enim color croci immaturi, alius maturi, alius integri, alius liquefacti: sed Plinius nobis vna via ingreditur cùm vitellum oui luteum vocat:

bat, vnde & flores genistæ luteos dicimus. Agellius autem luteum colorẽ lucidiorẽ rufo narrat, & hac ratione quosdã non indoctos viros miramur qui sanguinis colorem luteum dicant. Ius iurisconsulti à iustitia dici autumant, quod mihi risum mouet: nam quod grammatici est, lex vsurpat, Ius enim si tantum iustitiæ opus indicaret, hæc deriuatio posset tolerari. Sed cùm ius tam ad pulmentaria quàm ad leges referatur, vnde Iuuenalis,

-& eodem iure natantes,

Mergere ficedulas didicit nebulone parente:

& Cornelius Celsus iurulentam carnem nominet, necesse est hoc vocabulum ab alio quàm à iustitia deriuari:& licet quædam sint de quibus ratio reddi non potest, tamen hoc habet deriuationis certam figuram, à iuuando enim dicitur: Nam sicut corpus nostrum iure iuuatur & nutritur, ita ciuitates quæ vt corpus coaluerunt legibus tanquam iure quodam aluntur & iuuantur, ita vt ius corporis nostri cùm de pulmentarijs, & ciuitatum cùm de legibus dicitur, nutrimentum iuuamentúmque esse noscatur. Hibiscum de quo Virgilius,

-viridi compellere hibisco. quod Plinius decimo

decimooctauo Naturalis historiæ, à pastinaca gracilitate differre narrat, in cibis damnatum, sed in medicina vtile, pro quo aduertendum est, pastinacam satiuam esse grandem, vna radice quasi radio quodam aculeato contentam, sed fustis trigonica figura erigitur: sunt enim anguli duplici canali erecti, ad cuius similitudinem piscem Græci trigona, nos pastinacam vocamus: illi geometricam figuram, nos similitudinem huius simplicis inspeximus. Sed de pisce pastinaca audiatur Plinius nono Naturalis historiæ his verbis, sed nullum vsquam execrabilius quàm radius super caudam eminens trigonis, quam nostri pastinacam appellant. idem in eodem, nam pastinaca latrocinatur ex occulto radio transeuntes quod telum est ei figens. Et ideo improbamus nonnullorum medicorum insciitiam qui putauerunt hibiscum esse altheam, cùm in nullo conueniat: sed eorum error manauit ambiguitate nominis, nam quidam altheam euiscum nominãt: sed aliud est euiscum, aliud hibiscum, pro quodam igitur infortunio illud Virgilianum dictum est, vt pecus ad tam vile pabulum compellatur, in medicina verò vt

iam

iam dixi vtile est. Plinius libro xx. cùm loquitur de pastinaca & hibisco in fine capitis ait Celsus: podagris quæ sine tumore sunt radicem eius in vino decoctam imponi iubet. Sed Cornelius his verbis vtitur libro quarto, maximéq; hibisci radicem ex vino coctam, sin verò tumor calórq; est, vtiliora sunt refrigerantia. decepit ergo iuniores medicos simplicium declaratores & nominis similitudo, cùm althea euiscum & pastinaca hibiscum dicantur, & quædam similitudo virtutis, quoniam althea axungiæ admixta podagris prodest. Vulpes vt animal terrestre notum maximè est propter eius astutiam de qua Horatius.

olim quod vulpes ægroto cauta leoni,
respondit referam quia me vestigia terrent,
omnia te aduersum spectãtia, nulla retrorsum.

& maritimum animal id est piscis, vulpes ob astutiæ similitudinẽ dicitur, nam cùm se hamo captam sentit non reluctatur vt cæteri, sed lineam vorat ex qua hamus pendet vsq; ad eam partem qua facilè perroditur, & eo modo euadit. Lepus marinus, & merula & turdus etiam pisces à similitudine coloris appellati sunt. Struma apud Latinos licet quidam fluctuent

in

in cognitione, dicitur omnis tumor in corpore humano aduentitius, ſed cum duritia tam deformans quàm nocens: ideo & ad ceruicem, ad guttur & ad inguen, ad alas, ad pedes, ad ſcapulas interdum refertur. Plinius XXIIII. hiſtoriæ Naturalis, parotidi & ſtrumæ cum farina imponitur. idem XXII. ad ſtrumas cum pice & impubis vrina. in eodem, ſtrumas & panos concoquit, cum fimo columbino & lini ſemine decocta in vino. & in Dioſcoride ſtrumaticus is eſt qui tumidioribus cruribus eſt: & Cornelius Celſus in quinto optimè deſcribit, cùm ait, ſtruma quoq; eſt tumor, in quo ſubter concreta quædam ex pure & ſanguine quaſi glandulæ oriuntur. Quæ vel præcipue fatigare medicos ſolent, quoniam & febres mouent: ſed cùm eſum anguis ſtrumaticis prodeſſe ex ruſticorum autoritate Cornelius referat, non diſſentit omnino ab Auicenna Tertia quarti, qui in emplaſtris huius incommodi ſerpentem miſcet, & in hoc maximè concordant: nam Auicenna dicit, ſcrofulas eſſe glandulas ſcleroticas, cùm autem à Catullo dicitur,

ſella in curruli ſtruma Nonius *ſedet.*

eo ſerm

eo ſermone indicatur tumor ſuperbiæ & arrogantiæ Nonio aduentitius, quia ædilis curulis erat, nouo enim magiſtratu tumefactus, & contumax alios contemnebat, & quoniam tumor ſpongioſus gutturoſos aliquando reddit, ideo tumida ac ſuperba verba habenti cùm ex gutture exeant, tale nomen rectè accommodatur: Tumidos autem inflatos ſuperbia dici & illud Lucani firmat,

Qualis fama canit tumidũ ſup̃ æquore Xerxẽ,

Sæpe enim vt iam dictum eſt quæ ſunt corporis animo tribuuntur: vnde in Suetonio, tres Iulias, tres vomicas, triáq; carcinomata Auguſtus dictitabat. Sed quidam imperiti cùm ſtrumulas diminutiuè dicere debuiſſent decepti à Græcitate quadam ſimilitudine ſcrofulas dixerunt, pro morbo, quod Auicenna Tertia quarti declarat, dicens, Et videtur quod non nominãtur ſcrofulæ niſi propterea quod multum accidunt porcis, propter guloſitatem eorum: aut propterea quod figura earum vt plurimum aſsimulantur porcis: ſed hæc quæ dicit Auicenna ad Græcos, qui chœradas vocant, refertur, apud nos non niſi ſtruma. de Nonio autem ædile, ſic Boëtius in tertio de Conſolatione,

Num

Num vis ea eſt magiſtratibus vt vtentium mentibus virtutem inſerant? & vitia depellant? quo fit vt indignemur eas ſæpe nequiſsimis hominibus contigiſſe, vt Catullus, licet in curruli ſedentem Nonium, ſtrumam tamen appellat: ſtrumam igitur tanquam quoddam vitium & probrum ſceleſtum hominem nuncuparunt & Catullus & eius allegator Boëtius, & ſicut vitium illud omne ferè corpus infeſtat medicóſque fatigat, ita Nonius non vitioſus ſed vitium dicendus eſt. Nam oculus mentis quemcunque Nonij actum videbat admixtum eſſe, nequitiam & prauitatem indicabat, ita vt incurabilis ſit, & ſi curetur, vt ſtruma repullulet. Euge eſt aduerbium blandientis, cum exhortatione vera vel ficta, vnde Perſius,

euge puer ſapias dijs depellentibus agnam percute. & in Euangelio Matthæi, euge ſerue bone & fidelis, ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam: vtroque enim in loco exhortatio admiſcetur, cum veritate ad reliqua exequenda: ideo Chryſoſtomus in eo loco interpretatur, euge vt bene ſit tibi. Interdum autem blanditiæ illæ fictam continent exhor

exhortationem, & tunc est adulatio, vnde idem Persius:

euge tuũ et belle, nam belle hoc excute totum,
Quid non intus habet. & in Psalterio, auertantur retrorsum qui dicunt mihi euge euge, quod vt adulatorium à Dauide reicitur. Sors ignorantibus malum aliquid videtur significare, vnde & sortilegia damnauerunt, sed sanctis & doctis bonæ significationis est, ita enim Augustinus, super eo verbo sortes meæ, ait. Sors enim non est aliquid mali, sed est res in humana dubitatione diuinam indicans voluntatem, nam & sortes miserunt Apostoli, quando tradito domino Iudas perijt, & sicut de illo scriptum est abijt in locũ suum, Cœpit quæri quis in loco eius ordinaretur, electi sunt duo iudicio humano: sed diuino iudicio vnus: de duobus consultus est dominus quem nam ipsorum esse vellet, & cecidit sors super Mathiam, Sors igitur hîc est gratia Dei, qua sine meritis quem vult eligit: hactenus Augustinus. Simile est etiam apud poëtas,

-& dictæ per carmina sortes, & illud,
Italiam Lyciæ iussere capescere sortes,
& ita contingit, cùm Tarquinij iuniores

vna cum Bruto Apollinem consuluerunt, quis nam eorum regnaturus esset Romæ: responsum est qui prius oscularetur matrem, sed hanc diuinam voluntatem Brutus tantum intellexit. Error licet omnem beatitudinem subuertat, vt testatur Augustinus, cùm ait, Non erat talis istius vita beata quia quandoque desitura: & propterea non æterna siue id scirent, siue nescientes aliud putarent: quia scientiæ timor: nesciẽtis error beatos esse vtique non sinebat, attamen beatitudo & felicitas nõ semper illam æternam felicitatem respiciunt, vt iam dictum est, sed in minimis miscetur, vnde illud Comicum, beatus videor, subduxi ratiunculam. Et felix in communi sermone etiam inferiora respectat, vt sis felix, & infelix vates, sic etiam more nostro error quandoque beatos felicésq; efficit, ita vt ex falsa aliquãdo persuasione, cùm homo sibi ipsi tribuit, quæ in eo nõ sunt, nascatur gaudium & felicitas quædam, vnde Lucanus,

-populi quos despicit arctos
felices errore suo. Borith de qua ait Hieremias. Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam Borith maculata

es iniquitate tua, est herba fullonum, quam iuniores saponariam appellant. Siser de quo Plinius.XIX. libro loquitur, habet quatuor genera, & ab eo optimè describitur: quem tantopere Tiberius nobilitauit cùm à Gelduba castello iuxta Rhenum posito efflagitauit: nunc in Germania & Vngaria est in maximo vsu: habet enim amaritudinem gratam, nam contusus & aceto immixtus prouocat appetitum: Plinius tamen erratico siseri & exercitationem appetitus & fastidij absterfionem, & veneris stimulationem, & alia plurima tribuit, nares lædens, sed ipsi nomine ignorato vocant raphanum maiorem, & alij nasturtium: sed nec raphanum nec nasturtiũ est, sed hoc inditum quia radix raphanũ imitatur, cùm folia sint diuersa & sapor accerrimus ascendit, ideo crediderũt dici nasturtium, quod à narium tormẽto nominatur, & in Moreto libello, vbi Simuli hortus describitur, de nasturtio dicitur,

quæq; trahant acri vultum nasturtia morsu:

& de sisere,

-vt maluæq; inulæque virebant,

Hic siser & capiti nomen debentia porra,

est autẽ generis masculini, Plinius enim

tres siseres dicit: nascitur ergo locis frigidioribus, vt nos in nostris hortis habemus. Syrenes in poëtis sunt notissimæ, vt monstra maris sirenes erant, cùm meretrices pessimæ habeantur, nō igitur mirum, si Esaias Deo plenus ait. Sirenes & dæmonia saltabunt in Babiloniam, sirenæ etiam dicuntur serpentes in Arabia cum alis, quæ cursu equos superant: ita vt volare dicantur, vt ait Isidorus.

De aqua & medicina colicæ, & hoc nomine quis vel qui, & febre æthica.

CAP. XXVIII.



E aqua seorsum ab alijs elemētis loqui institui, quoniam omnibus rebus in vsu quotidiano familiaris est, animantes enim hoc elementum præcipuè colunt, quo sine, viui non potest. Nam cùm vita, vt dictum est, sit consistentia per alimentum, & cibo potúq; alimur, aqua & cibis & potibus necessaria est, sicuti videmus: nam cætera siue corpora genitalia, siue semina rerum, siue prima corpora, siue materiam malimus appellare (his enim omnibus vtitur Lucretius) concurrunt ad vitam: sed hoc præsto, præsénsq; est: rectè igitur antiquo nomine

mine posthabito (lixa enim dicta est, vnde elixare id est aqua decoquere, verbum manauit) aquam vocant, vt à qua viuimus teste Festo Pópeio: ita vt grammatici more suo ex præpositione & ablatiuo, nominis vocabulum fecerint, non sine ratione, nam hoc nomen, quis vel qui, que, quod vel quid multis gaudet priuilegijs, nam aliquando genere masculino, vt quis de vtroq; sexu intelligitur, & plerunq; substantiui, vt, quid & sæpe adiectiui vt quod vicem gerit, Nam quid rei, & quod animal dicimus: Præterea omnibus generibus & numeris legitimè correspondet. Salustius in Catilinario, est locus in carcere, quod Tullianum appellatur. Idem in eodem, interea seruitia repudiabat, cuius in initio ad eum magnæ copiæ concurrebant, opibus coniurationis fretus. Cùm locus ibi masculini generis, & hic seruitia numeri pluralis sint, nam quod interpretatur quæ res, & cuius id est cuius rei magnæ copiæ concurrebant: & in sacris literis, cùm dicitur, benedicite aquæ quæ super cælos sunt Domino: admirationem constructio faceret, nisi quæ admiratiuè & non relatiuè dicerentur: vt si dicere-

tur, benedicite aquæ Domino, quæ: id est quales admiratiuè scilicet sunt super cœlos, quasi dicat, limpidæ & crystallinæ, vt suprà de cœlo dictum est, & sic etiam Virgilius,

o quoties & quæ nobis Galatea locuta est.

accedit ad hoc quod eius ablatiuus singularis, id est & a, & o, terminatus primi & secundi & tertij ordinis sese ostentat: plurali etiã datiuo & ablatiuo astipulante, dicitur enim quis & quibus, & hac de causa hypodidascalus quidã hũcversum,

non de ponte cadit quicum sapientia vadit,

vt ænigma pueris scandendum proposuit, eos quantitatis timore illaqueans, nam hæc præpositio cum ablatiuo subseruiens si sequenti iungeretur versum corrumperet: antecedenti autem ancillans mensuram non viciaret: nec nomen prępositionis officit: nam sæpe postponitur, vt,

-maria omnia circum, nec est admiranda locutio, sæpe enim dicimus, qua de re, & in primo Aeneidos,

si qua fata sinant, & in Bucolico,

& si non aliqua nocuisses mortuus esses,

genere fœminino more pronominum sine substantiuo, vt mea tua sua nostra & vestra,

vestra,recté & Latinè ponitur,quod minutissimi pueri nuper scholam ingressi vix ignorant, Sexus enim fœmininus gratia fœcunditatis in multis masculino præfertur, quæ ratio mouit vt nomina virtutum fœminina noscantur, vt prudentia:iustitia,fortitudo, temperantia,& etiam spes, fides, charitas vt fœcundæ plurimos actus & honestos quidem pariant,nec etiam prætereundum est(cùm Aristoteles de relatiuis dicit, non esse inutile de singulis dubitare) quæ relatiuum abiecta litera a,facere,que coniunctionem præcedentem syllabam ad se inclinantem cum quadam suspensione, vt si dicetur quicunq;, quæcunq;,quodcunq;, & alia huiusmodi, indicatur ex hac infinitate sermonis numerus alius,vt si dixero qui & addidero cum,& que loco præpositionis & sonabit qui & cum, scilicet additamento, vt latè declarauimus in commentarijs Virgilij. Sed his omissis ad aquam redeo. Lixa dicitur summa ratione aqua,vt ea res à qua viuimus. Nihil enim optabilius in alimentis animantium,nec magis necessarium ipsa aqua intelligitur, cùm omnibus rebus interueniat:cibaria nanq, aqua coquun-

tur,& panis ipse hoc elemento præcipuè indiget. Sed non omittendum quod ait Nonius, nam panis & pannus idem sunt, licet iuniores ex vno duo fecerint nomina, ita vt in pannis vestimentorum & panes esculentorum ad vsum sint, nam litera n, duplicatur more Latino, vt de Porsenna & Porsena dictum iam est, ita literæ congeminatio varietatem non facit, panis ergo & panus olim idem erant: nam in principio cùm panem incœperunt latum, longum, tenuem ex massa farinacea fecerunt, ita vt pannus videretur, nampanni lati, longi, tenues sunt. Nam in sacris Roma. in quibus vetustas seruatur non nisi de pulte & fritilla sermo habetur, à pulte ergo ad panni similitudinem cibum formãtes, pannum vocitarunt, ita vt secundi & tertij ordinis confusio fieret, sicut gobio & gobius, scorpio & scorpius, scipio & scipius dicebantur: ita vt panos panes, & panes panos promiscuè pronuntiarent, sed panes sine aqua minimè esse possunt, & panni vt lauentur & purgentur aqua indigent. Et cinis lixiuius nomen antiquum seruans, Lixæ nanq; cinis miscetur plurimáq; efficit, & inter cætera à mulieribus

non

non negligitur, cùm omnia hoc cinere purgent capillúmq; rutilent. nam cum sit aqua crasſior ad interiora non penetrat, ſed optimè circa ſuperficiem verſatur & abluit: & capillus aqua tardius ſiccatur, quàm ſi cinere lixiuio abluatur, ſed quid multa de aqua, nam cùm tondemur, cùm lauamur, cùm vinum diluimus: ſic enim Latinè dicitur, in quo miramur nonnullorum ignorantiam, & maximè illius qui de ingenuis moribus libellum edidit, ibi enim dilutum vinum vocat limphatum, cùm limphati dicantur furioſi & dementes, Virg.

-totam limphata per vrbem: limpha enim quaſi nympha dicta eſt, vt viſis imaginibus in furorem agantur, vt ſuprà dictum eſt, aqua igitur indigemus cùm diſcumbere volumus, vt,

dant manibus famuli limphas: Plantæ, fruges, poma, nuces & omnia quæ viuũt, irrigationem aquarum exoptant, Sed aquæ cœleſtes, quas pluuias alio modo dicimus, non ſunt omnes eiuſdem poteſtatis: pluuiæ enim in quibus Saturnus, aut Mars operantur humectant quidem ſed non valde nutriunt: Iouis verò auxilio aut Veneris prouenientes, irrigant,

humectãt, alunt, ita vt annonam ampliorem faciant, sed cùm Martem nominauimus in pluuijs, fortaſsis dubitarent quidam niſi ſcirent fulmen nunquam ſine Marte aut Ioue fieri poſſe, & hoc in pluuia & tonitru. Maiores autem noſtri Ioui tantum fulmen tribuerunt, vt,

fulmina ſub Ioue *ſunt:* non tantum planetam reſpicientes, ſed primum motorem & Deum cuius arbitrio fulmina deſcendunt: nam quo ad cauſas cæleſtes Mars quoq; fulmineus eſt. Aquam fontanam ac fluuiatilem & pluuiam medicina extollit, diuerſo tamen effectu: nam cœleſtem ſtipticam putat. Aqua autem laudabilis debet eſſe limpida ſine ſapore & odore leuis, & ob hanc cauſam ſtagni aut paludis humor immobilis damnatur: Fontanus verò & fluuiatilis commendatur, ille enim grauis pigérq;, hic autem leuis & curſu exercitatus ſaluber eſt: hinc eſt quod viuam aquam probamus, viuam autem dicimus quæ in decurſu mouetur, & exhauriri non poteſt, nam ſi aqua non fuerit perennis, fons ſiccatur, & hoc modo interit. Lacunæ igitur & ſtagni & paludis & ciſternæ humor non dicitur rectè viuus, ex ſe enim non mouetur

uetur & vltimo fini eſt obnoxius, nam ſi fontanam aut fluuiatilem, aut pluuiam aquã incluſeris adempta vita, id eſt motu perenni, non amplius viuas nuncupabis, quanquam ſalubres ſint, nam vt dictum eſt currentium perpetuo riuorum viuos liquores appellamus, Sed ſi de aqua puteorum dubium occurreret ab beatꝙ Auguſtino ſoluetur, cùm dictum Euangelij exponit: ait enim omnis fons puteus, vbi enim aqua de terra manat & vſui præbetur haurientibus fons dicitur, ſed ſi in próptu & ſuperficie ſit, fons tantum dicitur, ſi autem in alto & in profundo eſt, puteus vocatur, ita adeò vt puteus profunditatis & non aquæ ſtantis nomen eſſe videatur, fontis nomen non amittit, hactenus Aurelius Auguſtinus. De fluminibus autem cùm loquimur, ſcimus illa quoq; è fontibus manare, Imò fluuij plerunq; à fontibus nomen habent, Iordanis de quo Dauid, Iordanis conuerſus eſt retrorſum, vario modo ab autoribus tractatur. Plinius nanq; libro v. Naturalis hiſtoriæ ait: Iordanis amnis oritur è fonte Paneade qui cognomẽ dedit Cæſareæ, & paulò pòſt, Trachonitis Paneas in qua Cæſarea cum ſupradicto fonte:

ex

ex cuius verbis vnum fontem esse Iordanis principium coniectamus: at Iudæi quibus hæc magis familiaria sunt propter patriam, de autoribus loquor, nomen Iordanis à duobus fontibus deriuatum aiunt, hoc est Ior & Dan. Sed non omittendum est quod de aqua traditur, philosophi nanq; frigidam grauiorẽ calida aqua tradunt, & in decursu acutius susurrare etiam si ex eodem foramine fluant: quapropter in quibusdam Italiæ fontibus deprensum est aquam manè altius scaturire velociúsq; quàm meridie currere: noctu nanq; frigus nacta celerius deorsum mouetur tãquam grauior, cùm meridianus calor aquam temperatiorem rarioremq; ac leuiorem reddiderit,& ob hanc causam quæ in meridie sumitur siue seruetur,ad vsum erit salubrior ea aqua quam matutina hora tribuerit: Leuitas enim in aqua laudabile signum est:vinum enim & aqua sunt vehicula cibariorum, plurimúmq; in alimentis suffragantur: Quanquam aqua propter sui frigiditatem minimum quid præstet, vt ex sententia Auicennæ Secunda Primi coligimus, præsertim cùm peritissimorum medicorum sentẽtia sit

nemi

neminem posse aqua nutriri, quod nisi bene intelligatur falsum est, quoniam cùm cibaria vehit plurimum auxilij in nutriendo præstat, sed si de ipsius aquæ substantia intellexerint, non omnino dissentio: Aqua nanq; colore, odore, sapore spoliatur, nisi vitiata sit. de colore oriri posset dubitatio nisi vnius & eiusdem aquæ quantitas eum variaret: nam cùm multa profundáq; est, nigricat, mediocris verò & non profunda glauca, ceruleáq; apparet, & vt magis huc quã illuc accedit, ita & coloris fit variatio: de natura igitur sui est omnium colorum expers. Sed à terra aut harena super quam labitur plerunq; coloratur, vnde apud Lucanum puniceus Rubicon quem Cæsar pertransiuit dictus est. Ab aqua verba quoq; descendunt: vt in libro Geneseos adaquauit camelos, & Virg.

—sub mœnibus vrbis

aquantur, de his satis. Iam ad potum aquæ redeo, ait enim Flaccus, omnia Deus dura proposuit aquæ potoribus, quod ratione non caret: aqua enim frigiditate sui, cùm bibitur, tristem iracundúmq; reddit, vt testatur Auicenna, Tertia decima tertij, nam sicuti potu vini

exhi-

exhilaramur,ita bibitione aquæ in mœrorem tristitiámq; resoluimur, quod nec Martialis tacuit cùm ait,

Me iucunda iuuant tractæ per pocula noctes,
Tu properas pota surgere tristis aqua,

Accedit etiam quòd ingenium hebetat, quia infrigidat. Virg.

frigidus obstiterit circum præcordia sanguis,

quod vini calor exacuit, vnde Horat.

Ennius ipse pater, nūquā nisi potus ad arma,
Prosilijt scribēda vnquā nisi potus Homerus.

& alibi,

Laudibus arguitur vini vinosus Homerus:

Quid autem vinum operetur certum est & carmen Ouidij declarat quod huiusmodi est,

Vina parāt animos faciuntq; coloribus aptos.
Cura fugit multo diluiturq; mero,
Tunc veniūt risus, tūc pauper cornua sumit,
Tunc dolor & curæ rugaq; frontis abit,
Tunc aperit mentes æuo rarissima nostro
Simplicitas, artes excutiente deo.

Hæc igitur quæ vitam iucundissimam præstant, ex vini potione nascuntur, non igitur admirationi dictum Flacci nobis erit, cùm omnia dura potoribus aquæ Deus proposuerit. Sunt igitur aqua & vinum diuersorum effectuum, in vno

tan

tantum concordant, nam cibum vehunt, vinum etiam si diluitur aut miſcetur colica laborantibus periculoſum eſt teſtimonio Auicennæ: Merum autem & purum fugat colicam, quam mixtum & dilutum vinum generat: vnde his qui mero vino læduntur vtilius eſt ſi colicam timent, purum vinum ſumere, deinde puram aquam bibere, & hoc pacto non nocebit: nam mixtio cauſa eſt, vt inflatio craſſa generetur in inteſtinis, quæ huiuſmodi incommodi origo eſt, ſed aqua ex ſe non tantum poteſt, vt inflationem craſſam immobilémq; producat, ſed à vino adiuta illud efficit: vini enim meri vis eſt inflationes diſcutere, ſed aquarum commixtione meri natura debilitatur, rarefaciens enim aquam, vnde inflatio prouenit, non eam habet potẽtiam aquæ impedimento irretita, indiſcuſſam inflationem relinquit, & inde oritur colica paſsio, hoc autem verum eſſe inter cætera mõſtrat vinum maximè dilutum, non tantopere efficere, ſicut mediocriter mixtum: Huic incommodo philonium vt diximus ſubuenit, quod nũc Romanum vocant, non ſine ratione, Romani enim ciues facti ſunt à Pompeio Cilices, vnde
Phil

Philon Tarſenſis, Quod & Lucanus tetigit:

An melius fient piratæ Magne coloni,

Aquæ potione tantum, vt iam ſcimus à Caſsio Felice primo ardentiſsima febris expulſa eſt. Sed in ſpaſmo ex ſententia Auicennæ Quarta quarti potum aquæ frigidæ prohibemus, eius enim frigiditas ſpaſmum auget ſicuti caliditas diſſoluit & minuit. In tumore tabis quæ Græcè phthiſis dicitur: ex huius doctiſsimi viri ſententia potus aquæ largáq; commeſtio non inhibentur, Si febris æthica comitetur, quæ nomen ab ardore ſortita, æthon enim incendium dicitur, quo etiam nomine vnus ex equis qui quadrigam Solis more poëtico trahunt, nominatur in ſecundo Metamorph.

—Pirous Eous & Aethon

Solis equi quartusq; Phlegon, maximus enim huiuſce febris eſt ardor, ſed propter inueteratam conſuetudinem, ita ſentitur, ſicuti in tertiana, aut hemitriteo: huius igitur febris incommodo aqua ſubſidium præſtat, incendium namq; refrigeratione, & tabes atque conſumptio inſtauratione indiget, quam copioſior victus accommodat. Dionyſius enim

Syra-

Syracusanus de quo multa feruntur, cùm ex cibo parco iam tabesceret, cõsilio medicorum ad consuetas crapulas, quas Latinè vexationes dixerunt veteres commessationes've rediit. Aqua igitur leuis, limpida, fontana in vsu cotidiano sumatur: alioquin decocta vti necesse erit. Sed quo pacto vtendum sit, audiantur Plinius & Auicenna, ille enim x x x i. Naturalis historiæ. Neronis principis inuentum est decoquere aquam, vitróq; dimissam in niue refrigerare, ita voluptas frigoris contingit sine vitijs niuis, omnem autem decoctam vtiliorem esse conuenit: Auicenna verò tertia primi ita ait: Complexionibus temperatis aqua conueniens est, quæ in frigiditatis fortitudine temperata existit, & cuius infrigidatio in niue deforis fit, præcipuè si nix mala fuerit & in niue etiam mali huiusmodi est dispositio, quoniam quod ex ea resoluitur, neruis & membris anhelitus nocumentum facit & omnibus interioribus, neque tolerat eam nisi vehementer sanguineus, quòd si non illico alicui nocumentum fecerit, secundum longitudinem dierum faciet, cùm in annis processerit: hæc autem de aqua seu lixa seu limpha dicta sufficiant, non

enim tale elementum silentio prætereundum putaui.

De Luna & Mari quod vicißim crescit & decrescit, & de negotijs felicibus aut aduersis, de errore Plinij in Luna, de magnitudine Solis, & cur dies à meridie apud mathematicos incipit. CAP. XXX.

IAM mihi peropportunum videtur facta de aquis mentione de eo planeta loqui, qui aquam mouet ac moderatur, hæc autem est Luna, nam vnicuique diurnum maris cursum intuenti apparet Lunæ cursu variari, ita vt crescat aut decrescat. Crescit enim mare tandiu quoad hic planetã ab horoscopo ad medium vsq; cœlum tetendit: eo enim spatio aqua maris rarefit, & vt consequens intumescit & hoc pacto fit altior, & crescit: non enim illud incrementum fit aliquo aquarum additamento, nam vt in aheno subiectis flammis aqua bulliendo augetur, ita calore subtracto in se ipsa residet & incrementa cessant: sic maris aqua densatur reditq; in se Luna à medio cœli ad septimum vsq; locum ab horoscopo descendente, & ab hoc ad imum cœli eunte, rursus, vt ita loquar, ebullit & rarescit: à

quo

quo loco ad horoſcopum cùm mouetur: efficit Luna vt iterum aqua denſetur ac reſideat: ita quòd quater die noctéq; varietas hæc reciprocatur, & vt paucis abſoluamus, ſex horis primò creſcit, deinde totidem decreſcit: iterum eodem numero horarum incrementum accipit, & tandem eodem ſpatio reſidet: ita vt ſpatio quatuor & viginti horarum has viciſsitudines peragat. hoc autem non contingit in omni mari. Mare enim inferum, vbi Genua eſt, nullum incrementum aut decrementum monſtrat, quoniam aqua illius maris ita glutinoſa eſt, vt non poſsit adeo rarefieri vt creſcat, ſed hæc quæ dicimus ad freta & maria particularia ſpectant. Cum autem totam aquæ maſſam, vt ita loquar conſideramus, alius eſt ordo, de quo aliàs: nunc verò ſatis erit dixiſſe: Etiam incrementa aquarum non ſemper eſſe æqualia: plus enim & aliquando minus incremẽtum aut diminutionem ſentiunt, hoc autem propter aliorum planetarum ſubſidia accidit: nam ſi Luna fortunatis planetis Veneri vel Ioui iuncta fuerit, in ſignis aërijs quę inflãt, vel aqueis quæ augent aquam maximè aquas mouebit: ſed ſi ab infortunijs, vt Marte & Sa-

turno opprimatur, vis eius conflaccescit, minúsq; mouet, & sic etiam Luna roboratur, aut debilitatur, prout ab alijs planetis felici aut cótrario aspectu fulcitur. Sed totam aquæ massam mouet octaua sphæra, sexagesimo quoq; anno vna parte, vt tradunt iuniores mathematici ita vt longo temporis spatio mare sit futurum vbi nunc est terra, & è contrario, quod experimento cognoscitur: nam aræ Alexandri Magni sub linea eclyptica in oriente cùm in sicco essent positæ vt aquarũ termini: nunc ferè duobus millibus passuum ab aquis maritimis operiuntur, ibi enim mare octaui globi vim sequens creuit: & Gades Herculis sub eadẽ linea eclyptica in occidente existentes pro aquarum termino asignatæ, iam à mari distant, suntq; in sicco totidem milibus passuum, sed de hac re aliàs latius. Volui enim hæc pauca inseruisse, ne ex abrupto aquas & Lunam nominauerimus, propter illud puerile prouerbium quod in Italia Transpadana apud rusticos in vsu est, aiunt enim, cùm præter rem propositam loquitur quis, interrogantes quid rei est cancris cum Luna? nescientes humorem in eis & augeri & minui vt Luna crescit aut decrescit:

conchi

conchilia enim inter cætera Lunæ varietatem ſentiunt, nam cùm creſcit, in rebus humor augetur: & cùm decreſcit, diminuitur: hinc eſt quod materiam ne teredini ſit obnoxia, quam nimius humor vna cum carie generat Luna ad coitum tendēte (Luna cum interlunium eſt, tunc enim ſilet) ſuccidunt. His tractatis ad Lunam redeo, quæ aquam agitat & pauca dicemus: quoniam cùm ſit nobis proximior cæteris in actibus humanis plurimum operatur, vt in cædendo ligno, in plantando arbuſto, & in omnibus ferè ſe intermiſcet. Sed vnum aduertendum eſt, vt ordine progrediamur, diem mathematicè initium habere à meridie: exempli gratia, capiamus Calēdas Martias, in meridie Calendarum Martiarũ incipiet primus dies Martij, ita vt illud quod meridiem eius diei præceſsit eſt pars vltima menſis Februarij, Menſis Februarius igitur finitur in meridie Calendarum Martiarum, & ſic de cęteris & diebus & menſibus dicendum eſt, ita vt quilibet dies, id eſt lux in duas ſecetur partes, prima ſiquidem quæ eſt ante meridiem antecedentis diei, & ſecũda poſt meridiem ſubſequentis diei ſit. Sed hic modus manauit

ab Etruſcis: diem enim illi eruditiſsimi populi in meridie illius diei incipiebant, ita vt aurora Etruſcorum nõ manè apud ſolis ortum ſed ante meridiẽ cenſebatur: tunc enim dies apud eos habebat ortum, & ſecundum hoc Etruſcorum dogma, poëta Verg. in ſexto Aeneid. locutus ait,

Hac vice ſermonum roſeis aurora quadrigis,
Iam medium æthereo curſu traiecerat axem.

vbi Seruius ait ſecundum Etruſcos diei ortus eſt à ſexta diei hora: ortus diei habet auroram à ſexta diei hora, de planetaria intelligens, ſicut declarauimus. Sed dicerent nonnulli, qua ratione & Etruſci & mathematici diẽ à meridie potius quàm ab ortu ſolis inchoent, & quidam ex iunioribus, veſpertinum ortum & occaſum (Græcè chronicum vocant, ſonat enim temporarius) nõ ineptè dixiſſe apparent, nocturnum enim tempus cùm ſtellæ apparent matheſi ad diſcernendas ſiderum varietates idoneum accõmodatúmq; eſt, nam die præſentia ſolis omnia offuſcat, ſicut fit vt maius lumen ſemper offuſcet minus. ſed ad id reuertor quod propoſueram de diei principio in meridie, pro qua re memoriter tenendum eſt, omnes planetas omnésq; ſtellas moderamẽ à ſole ſortiri,

sortiri, imo vt acumen mathematicum apprehēdit, luce carent omnes, nisi à sole fuerint illustratæ, hinc est quòd defectū, id est, eclypsim patiuntur, quæ quidem inter cetera planetarum sublimitates maximè indicāt: Saturnum enim Ioue altiorem, proximiorémq; cœlo stellato esse iudicamus: quoniam Saturnus tunc deficit, eclypsimq; patitur, cùm stella Iouis interponit se inter aspectum nostrum & stellam Saturni, & sic de ceteris. Luna verò, vt omnibus apparet lumine carēs, plurimum aliquando, & tunc plenilunium: nonnunquam parum aut nihil à Sole illustratur, vt ipsa Lunæ varietas nobis ostendit ex Solis aspectu: nam cùm in vmbram terræ descendit tota deficit, quod Plinij inscitiam arguit, nisi sit menda, ait enim Lunam esse maioris quātitatis quàm terra, quod dictum si veritatem contineret, nunquam posset tota deficere, quoniam amplitudine sui superaret vmbræ terrenæ latitudinem, sed forsitan mendosus est sicuti in multis reperitur. Sol igitur solus lucem habens cætera illustrās sidera, hoc nomen apud Latinos meruit, vnde Martianus Capella. Solem te Latinum vocitat, quòd solus honore post patrē sis lucis

 apex:

apex: ita vt Deo primum ſplendorem & luminis fontẽ tribuat, & inter creata Sol ſolus dicatur lucere: quanquã Manichæi, quorum Fauſtus ille cõtra quem Auguſtinus ſcripſit cuius liber incipit, Fauſtus ingenio callidus, eloquio ſuauis, ſecta Manichæus, patria Leberitanus, nouerã ego hominem. hic igitur Fauſtus ex dogmate Manichæorum, Solem vt Dei ſplẽdorem colẽdum cenſet. Cuius quidem Solis magnitudinem Ptolemęus tantam eſſe ait, vt centenus ſexagenus & ſextus terræ ambitus vix eum æquet. Sol tanti ſplendoris tantǽq; magnitudinis, oculus mundi fomésq; rerum non iniuria dux princépsq; aliorum eſſe narratur: nam ab eo initium anni ſumimus. Nam cùm primam arietis minutiam ingreditur, tunc annus incipit, ſed eius ingreſſus eſt, circa meridiem in medio ferè Martio, & ſic circa meridiem mediúmq; Aprilem taurum intrat, & ſic de cæteris dicendũ eſt. ſed quoniam partes ſiue gradus, vtroq; enim nomine Ptolemæus vtitur, ſigniferi ſunt trecentæ & ſexaginta non valẽs ſol vno die (nunc voco lucem & tenebras diem) vnam partem pertranſire neceſſe eſt, vt totum zodiaci circuitum tricenis ſexagenis quinisq; &

quadr

quadrante vnius, diebus annum expleat, exceptis tamen à numero horarum vndecim ferè minutijs: nam quadrans ille non continet reuera ſex horas integras: & propter hanc rationem neceſſe eſt, vt ſi hoc anno in meridie Iduum Martiarum ſol ingreſſus eſt primã arietis minutiam, ſequenti anno vt ad locum vnde primo diſceſsit reuertatur, numero dierum & horarum cõputatis, viceſima quarta hora vt more noſtri horologij loquar ad initiũ arietinum perueniat, & ſic non erit in meridie, ſed poſt occaſum illius diei anni principium. tertio verò anno ſexta hora noctis, & quarto duodecima hora noctis, quinto verò anno ad meridiẽ reuertetur, & ideo finitis quatuor annis cùm quintus inſtat intercalatur, cùm Februario vnum diem addimus, vt ſol rurſus ad naturam reuertatur, vt in meridie initiũ anni capiat. Sicut igitur ſol meridiano tempore initia ſignorum capit, ita omnium planetarum curſum ad meridiem illius diei mẽſuramus, Sed illud quod quidam acutiſsimi Mathematicorũ, de origine mũdi commenti ſunt apud me in ambiguo eſt. Aeſculapius enim & Anubius primi illi ac Diui aſtrologi genitũ mundum credi-

derunt, Sole xv. gradum Leonis tenente, quod falsum esse experientia docet: nam à quocunque signo initium anni capias, non respondet enuntiatorum veritas, nisi in ariete, vnde poëta Vergilius rectius de origine mundi sensit.

-Ver illud erat, ver magnus agebat
Iupiter. sed à quibusdã doctis adijcitur verno tempore mũdi creationem fuisse, quod habuit naturam autumui, nam non flores sed matura poma arbores onustas, & non oua sed gallinas, nõ pueros sed robustos, vt Adam & Euam creatos in principio aiunt. Sed hæc more quorundã qui Platonẽ imitantes genitũ mundum fuisse referunt. at Aristoteles & schola Peripatetica, vt suprà dictum est, cœlo & astris perpetuitatẽ tribuunt: nam illa Aesculapij & Anubij sententia, etiam alia ratione falsa esse conuincitur, quoniam in eadem mũdi genitura Venus locatur in xv. parte libræ, & Mercurius in totidẽ partibus virginis: quod si ita esset, Venus per duo signa distaret à Sole: nã eum in xv. leonis locauerũt, quod est impossibile, nunquàm enim Venus duobus signis à Sole abesse potest. Sol igitur vnius anni spatio XII. signa percurrit. sunt autem hæc: Aries,

taurus,

taurus, gemini, cancer, leo, virgo, libra, ſcorpius, ſagittarius, capricornus, aquarius, piſces, & hæc eadē Luna ſpatio menſtruo pertranſit. Sol diebus ferè triginta ſignum vnum, & Luna ſexaginta horis æquinoctialibus peragũt. ſed cùm ad Solem venit in coitu, & combuſta eſt, ſed vt diximus ſuprà, ratio dierum habenda eſt, nam ſi horum planetarum cõiunctio ante meridiem Calendarũ Martiarum, ad Februarium: ſi autem poſt, ad Martium ſpectat, & ſic de alijs menſibus dicitur, nam multi falluntur in denominatione Lunarum, cùm Martiam aliquando dictitent, quę Februaria eſt. ſed gratia exempli fingamus cõiunctionem poſt meridiē Martiarum Calendarum factam, tunc in meridie ſequẽtis diei erit prima Luna & ſic deinceps: Primus igitur Lunæ ortus erit à meridie Calendarũ Martiarum, vſq; ad meridiem ſequentis diei: ſecũdus verò ab iſtius diei meridie ad tertij meridiē, tertius verò ortus in meridie quarti, quartus verò in meridie quinti diei, & hic dicitur ortus quartus, qui tantopere in prognoſticis obſeruatur, vnde Vergilius:

Sin ortu quarto (nanq; is certiſsimus autor)
Pura nec obſcuris, per cœlum cornibus ibit

Totus,

Totus, & ille dies & qui nascentur ab illo
Exactum ad mẽsem vento pluuiaq; carebunt.

pura tunc est cùm nubibus non obfuscatur, & cornua non sunt obscura cùm lumine natiuo & proprio lucent, at si cornua Lunæ rubent ventos, si pallent pluuias, si albent serenitatem indicant, & hinc versus ille manauit:

Luna rubẽs sufflat, pallens pluit, alba serenat.

Vnum tamen memoriter tenendum est quod iterum atq; iterum repetẽs moneo: prognostica in quacunque facultate esse fallacia, sed vt plurimùm vera sunt, nam in medicina Cornelio Auicennáq; testibus sæpe visum est, plurimos euasisse periculum mortis, quos morituros prognostica demonstrabant, & è contrario. Luna igitur initium capit ab illo signo vbi erat Sol, cùm fuit in coitu, & quia semper variatur nunquam in eadem forma consistens, ideo numero pluratiuo dicimus: vt

—Lunasq; sequentes,

cùm in cæteris planetis, numero tantum singulari vtamur, sed cùm Ouidius,

Solibus hibernis æstiua dulcior vmbra

dicit: de caloribus radijsq; eius intelligit. Luna igitur cæteris nobis vicinior maximos & manifestißimos effectus monstrat

in

in terris, quapropter vtilissimum erit eius statum sedémq; intelligere, quoniam pro vtilitate signorũ humanos actus variat. Signa enim diuersas obtinent habitudines: nam aries, leo, sagitarius ignea: taurus, virgo, capricornus terrea: gemini, libra, aquarius aëria: cancer, scorpius, pisces aquatica signa sunt. Cùm igitur Luna in ariete signo orientali calido siccóq; masculino ac igneo fuerit collocata orientem versus, iter arripere, in operibus igneis operari, vt si quis calcarias aut lateritias fornaces incenderit, in brachio sanguinẽ minuere, balneum intrare, quod cito finem habeat incipere, bonum laudabiléq; est: sed è contrario caput lauare, barbam tondere, cucurbitas illi apponere, è naribus sanguinem prouocare, nouam nuptam ducere, domũ aut oppidum fundare, è carcere eximere, prædia emere, & instrumenta emptionis facere, prælia incipere, & illa omnia initiari quæ diu durare volumus, tunc prohibemur: est enim aries signum mobile et instabile: nam medicinæ eo tempore acceptæ, parum aut nihil operãtur, quoniam nausea cum vomitu subsequetur: Aries enim inter ruminantia numeratur, ruminare autem est

cibum

cibum ad os reuocare, & hoc quod dixi non modo in hoc signo, sed in cęteris ruminãtibus solet accidere: sunt autem ruminantia, aries, taurus, capricornus, & vltima pars sagittarij, in quibus cùm Luna fuerit, motus in stomacho cum tumultu ex medicamentis nauseam vomitúmq; præstabit: Luna autem cùm taurum signum, fixum, frigidum, siccum, meridionale, melãcholicum, terreum, fœmineum occupauerit, agricolationem exercere, vt serere, arare, occare, fodere, sarrire, pastinare, plantare arbores, citò enim crescent diúq; durabunt, boues emere, equitare, in materia aut lapide operari, fundamenta ædificiorum iacere, vxorem ducere, & omne opus duraturum incipere, laudabile vtiléq; erit. Sed collo, linguæ, gutturi medicamen apponere, ad pugnam exire, bellum quod citissimè finiri optamus incipere, comam incidere, nouas vestes induere, cum mulieribus aliquid in colloquio tractare, principes adire vetamur. Cùm geminorũ signum Luna possidet, quod bicorporeum, occidentale, aërium, sanguineum, masculinúmq; est, amicitiam inire, concordiam quærere, litigantes pacare, matrimonia tractare, sed non

concl

concludere (hoc enim signum fixum expostulat) ad bellum proficisci vel clarigationẽ facere, hoc enim est belli initiũ, feliciter possumus, vnde non immeritò hoc signum Castore Pollucéq; cõstare poëtæ fingunt: nam militares habiti sunt, & tanta beniuolentia iuncti, vt illud dicatur,

Si fratrem Pollux alterna morte redemit.

Sed brachium pro detrahendo sanguine tangere, aut præsegmina vnguium facere, manibus aut brachio, aut lacerto, aut cubito vel radio medicamen emplastráq; apponere periculosum est, aut ne multũ sanguinis exeat, aut membra, & ossa quæ tetigimus, debilitẽtur, ita vt vel moriatur homo, aut mancus fiat nisi alij felices aspectus adfulserint, vt in sequentibus declarabimus, sed in hoc signo Luna caliditatem & humiditatem, aurámq; leuem pręstat, túncq; bonum est portum pleno velo exire, nisi sit illud itineris principium, nam iter incipere Luna in geminís existente est absurdum, nam iter incipientes aut ægrotabunt, & forsitan morientur in itinere, & si cõualuerint periculosum est, ne morbi recidiui fiant: nam recidiuus morbus dicitur sumpta trãslatione ab arboribus quæ cùm cæsæ sunt repullulant,

nec

nec vnquam ad hominē vt imperiti medici abutuntur pertinet,& ideo Vergil.

& recidiua meis posuissem Pergama Teucris.

Si autem quis effracto carcere, aut vinculis exemptus fugerit, iterū capietur. Bonum tamen est in hac constellatione potiones sorbitionésq; medicas bibere. Si verò cancrum signum tropicum, septentrionale, frigidum, humidum, aqueum, phlegmaticum, quod eius domicilium est Luna tenuerit, ad plagas septentrionales mercandi gratia proficisci, ad prælium ire, opera quæ ad aquam spectant, moliri vt molendinum, aquæ ductum, riuulos ducere, medicamenta sumere optimum est, lætatur enim Phœbe, vt more poëtico loquar, maximè cùm domiciliū proprium habitat, lætatur humiditatibus redundās, opera facienda ad finem vsq; deducens. Sed pectori medicamina applicare, domos ædificare, matrimonia concludere, nouam habitationem aut prædium occupare, & omne opus quod igne indiget facere, & quæ durare diu volumus machinari penitus prohibemur: nā mobile signum, tempestatem frigore humoréq; horridam ex signi natura tribuit: nisi vt diximus & dicemus, alio prohibeatur

aspect

aſpectu, hoc enim ſemper intelligendum eſt: veſtimenta verò noua induere, naues, cimbas, lyntres, rates in aquas deducere, puteos aut fodere aut purgare: oues aliáq; pecora & iumenta emere, camelopardalim quam feram ouem dicimus, ex eo quod ferum aſpectũ, mitémq; naturam habet, ita vt ab aſpectu feritas, & à moribus manſuetudo noſcatur, tractare mella, cibos adipésq; parare vtile eſt: ſed cauendum virginem in vxorem ducere, debitum exigere, principũ amicitias quęrere, plantare: hæc enim omnia ſi tunc fient malum ſortientur euentum. Cancrum ſequitur leo ſignum fixum, orientale, calidum, ſiccum, bilioſum, vt aries maſculini ſexus, in quo ſi Cynthia id eſt Luna verſabitur, reges adito, opus igneum exercitato, domum aut oppida fundare caueto, aurum aut emere aut mutare: pannos crocei coloris, matrimonia firmare penitus fugito: Iter longum ne incipias, nouas veſtes ne incidas aut induas, quoniam huius cõſtellationis nequitia aut ęgrotabis, aut morieris, aut occideris, aut furto veſtimenta amittes, aut nũquam aptè corpori membriſq; adhærebunt, & ſi medicinam ſumpſeris nau-

ſeam patiens eam cum ſanguine euomes. Medicamenta autem cordi,aut iocinori, aut ſtomacho,aut præcordijs, aut interaneis applicare peſsimùm profectò eſt, ſed in hoc ſigno Luna tempus calidum humidúmq; efficit, ſeruos aut ancillas, pediſſequásq; emere, debitum exigere matheſeos diſciplina permittit, vetat tamen naues in aquam deducere, latera aut dorſum medicare. Luna aliquando Endymionis amore correpta, vt poëtæ fabulantur, hic enim primus mathematicus naturam eius calluit, in virginis ſigno verſatur, quod biforme eſt, conſtat enim humano corpore,aliſq; volucrum: talia enim ſunt omnia Mercurij domicilia, propter eius varietatem, bicorporea enim ſunt, ſicuti de geminis apparuit. Nam & hoc & illud Mercurius vt domicilia ſibi vendicat, cùm igitur Luna in hoc ſigno fuerit,quod frigidum, ſiccum, terrenum melancholicum,fœmineúmq; eſſe conſtat,ſerere,plantare,paſtinare,telas ordiri, ſcribere, operáque terrea aut cretacea, vt lateres, vaſa fictilia fingere optimum putamus, aduertendum tamen eſt in ſignis duplicibus, vt ſunt gemini, virgo,ſagittarius,piſces, ratio demõſtrat,
vt

vt,quæ germinare, aut ex plantantione pullulare volumus, propter duplicẽ ſigni figuram bonũ eſſe parari: vxorem verò virginẽ ducere, Luna virginis ſignũ poſſidente Matheſis prohibet: quoniam aut erit ſterilis, aut perpaucos pariet, viduam autem aut corruptam ducere permittit. Ad ſeptentrionẽ iter capere, vmbilicum, ventrem, aut pantices, inteſtina, lũbos aut renes medicare nó eſt omnino laudabile, ſed nouas veſtes induere: aut incidere, ſanguinem quoq; minuere probatur, aërẽ frigidũ ſiccúmq; vẽtos nubeculáſq; humiles, aut ſine pluuia aut humectatione minima hoc in ſigno Luna demonſtrat. Libra poſt virginẽ cùm Lunam ſuſceperit quid portendat in promptu eſt, iam plurimis declaratis: eſt enim ſignum æquinoctiale, occidentale, calidũ, humidum, aëriũ, ſanguineum, maſculinũ hominem cęlúmq; dimidians, vertebras enim in ſui poteſtate cótinet. Erat olim Italiæ ſignũ: vnde Manilius Aſtronomicôn lib.

Heſperiam ſua Libra regit,

pro quo nonnulla, gratia vtilitatis inſeram: Sub aliquo ſigno vrbes vel locus dicitur eſſe, cùm in fundatione vrbis & loci illud ſignum fuit in horoſcopo, exem-

pli gratia, cùm primus lapis iactus est pro fundatione vrbis Romæ tunc leo ascendebat, hoc est horoscopabat, signum igitur Romanæ vrbis, sub quo dicitur esse, erit leo, & cùm ager sequatur fatum vrbis, & tota Italia tanquam ager vrbi Romæ subiecta fuerit, fatum vrbis tota Italia sequens, sub signo leonis esse censetur: sed ante Romanę vrbis fundationem erat libra: nam siue à natura loci, siue ab aliqua principalis vrbis fundatione habuerit, certissimũ est Solem ac venerem in Italia plurimum dominari, quoniam sunt domini horoscoporum, vt Sol leonis, Venus libræ: Nam huic regioni in cæteras nationes imperia nondum fata negarunt, & promiscuus coitus, & populorum multitudo, quæ venerea sunt, ab initio fuere, hinc est quod iuniores Mathematici, antiquitatis penitus obliti in prænuntiatione futurorum ex genitura anni plerumq; falluntur: Sol enim claros nobiles imperiorum regnorúmque possessores cum splendore famæ efficit, & Venus multitudinem populorum & ciuitatum ornatarum, nec non pulchrorum apparatuum mũditias operatur, non immeritò igitur poëta Vergilius

gilius in laudibus Italiæ inquit,

Adde tot egregias vrbes operumq; labores,
tot congesta manu præruptis oppida saxis.

Hoc volui inseruisse, ne posthac iuniores Mathematici amplius hac in re corruãt, ad rem igitur nostram reuertamur. Luna in libræ signo existente, ad orientem mercandi gratia proficisci, sanguinem minuere, omniáq; incipere quæ citò debent terminari, nouas vestes aut incidere, aut induere, pannos albos emere, margaritas, vniones, gemmas & res omnes candidas, & equos albos emere, & mundum muliebrem vt perichelides, annulos, redimicula, inaures vasáq; cristallina comparare, medicas potiones adsumere laudabile est. Sed cauendum est ne tunc opus quod duraturum optamus incipiamus, instrumenta emptionis aut societates facere, principes adire, vertebras: lumbos & inferiora ventris, vt pectinem medicare vetamur. sed non est obliuioni tradendum, libræ signum sicut cætera in tres decanos diuidi, quos iuniores vocant facies, Primus decanus cùm sit Lunæ, est iustitiæ, iuris, æquitatis, & veritatis, omnia enim æquo libramento pensitantur, ab hoc enim illa vis iustitiaria,

quæ Italiam præ cæteris regionibus ornauit, volumina enim maxima legum à Romano imperio ac imperatoribus in alios populos defluxere, & poëta Virgilius de Italiæ populis ait,

—æquosq; faliscos,

& Romanorum illa sunt æquitatis insignia, cùm sæpenumero miserorum oppressorúmq; causa liberandorum accerrima bella gesserunt, & inter nomina propria Vrbis quæ celata sunt, vt diximus Luna connumeratur. Secundus verò huius libræ decanus Saturno addicitur, qui est quietis vitæ, tranquillæ, tutæ, & securæ: & talis qualem in Georgicis poëta narrauit: nam ait,

Rusticus & curuo Saturni dente relictam
Prosequitor vitem:

& in laudibus agricolationis.

At secura quies & nescia fallere vita,
Diues opum variarum & latis otia fundis.

Nec quisquam admiretur Saturno planetæ hoc tribui, quia & bonorum & malorum excellentium solet esse pro loci conditione largitor, & vt in nocturna diurnáq; genitura dominatur, maxima quandoq; bona & interdum mala decernit. Tertium autem decanum Iupiter

pos

posſidet, qui eſt ganeæ, emaſculationis, hilaritatis nimiæ, effrenatæ voluptatis, malorúmq; morũ:& hic quoq; non nihil Italiam maculauit, in qua peruerſæ Veneris poſtico vulnere foſſor frequens inuenitur, & ante legem Scatiniam impunitas huius rei fuerat,& poſt latam legem qua primus ipſe qui tulit Scatinius punitus eſt, remanſit, vt à mangonibus puerorum, noctes conducere non erat prohibitũ. Semper enim Iupiter in domo Veneris ad malos mores inclinat, nam cùm eſt in tauro puellarum raptores facit, hinc illud poëticum commentum eſt Iouem in forma tauri rapuiſſe Europam: & illud quoq; non eſt ab re, quis enim deprendere poſſet furta Iouis? Sed in hoc ſigno ſunt quædam præcipitia, ideo quæ precipimus ante non poſſumus per totum ſignú operari: nam à decima octaua parte libræ incipit via, quæ dicitur combuſta, quæ lunaribus actibus infelicitatem præſtat: protenditur enim hæc via vſq; ad duodecimam ſcorpionis partem, ſunt igitur partes infelices atq; combuſtæ quatuor & viginti, duodecim enim poſteriores libræ, & totidem anteriores ſigni ſcorpionis ſunt.

Sed nemo admiretur viam hanc combustam à libra & ſcorpione ſumi, quoniam apud vetuſtiſsimos Mathematicos libra pro chelis ſcorpionis poſita, vnum duntaxat ſignum cum ſcorpione putabatur: nam chelæ ſcorpionis libram cõſtituunt. & ſecundum hanc rationem loquitur Ouidius ſecundo Matamor. cùm de ſcorpione ait:

Porrigit in ſpatiũ ſignorũ membra duorum.

Tanta enim eſt Veneris cum Marte familiaritas, & à poëtis quoque decantata, quòd non modo vicina, vt arietem, taurúmq;, ſed communia quoq; ſigna poſsideant: In omnibus igitur quæ antè narrata ſunt, via hæc exuſta Lunam inficiẽs, actúsq; infelices reddens vitanda omni ratione præcipitur. Scorpius ſiue ſcorpio ab antiquis Latinis dicitur nomine nepæ, quãquam & cancrum & gammarum ſub hoc nomine lingua noſtra intelligat. Gammarus autem propriè eſt cancer caudatus, cancer verò rotundiore forma & ſine cauda eſt, & quia cauda nonnullis putatur ceruix, prouerbium natum eſt, vt retrocedentes more gammari ambulare dicantur: & hinc Plautus à Nonio Marcello allegatus, retrouerſum

ſum cedam imitabor nepam. Sed Cicero ab eodem allegatus, ſcorpionem ſed nepæ nomine dici oſtendit, cùm ait, natare anaticulas, volare merulas, cornibus vti videmus boues, nepas aculeis. Feſtus autem ait: nepa Afrorũ lingua ſydus quod cancer appellatur, vel vt quidam volunt ſcorpius. Plautus, Dabo ad parietem imitabor nepam. Ex horum ergo autoritate, nepa tam ſcorpius quàm gammarus caudatus eſt: Cancer verò ſine cauda. de gamare Iuuenalis,

At tibi dimidio conſtrictus gammarus ouo.

& rectè, vterque enim chelas caudámq; gerit: ſimilitudo autem chelarum in geſtu diſsimilitudinem habet, & hinc Ouidius facta de ſcorpio mentione:

Nectit atq; aliter curuantẽ brachia cancrũ:

ſcorpius & gammarus ſiue cancer brachijs vtuntur, Vergilius in Georgicis,

–Tibi brachia contrahit ardens

Scorpius: Ardentem, cùm ſignum aquaticum ſit, quia domicilium eſt Martis, dixit, & quia ſcorpius ſignum libidinoſum eſt, quidam grammatici luxurioſos pro libidinoſis ponentes dici à nepa nepotes putarũt: vt pantalabum ſcurram nomentanúmq; nepotem, cùm acutiores, alia

via hoc tractum referant testimonio Festi. Cùm igitur Luna scorpionem tenuerit, quod est signum frigidum, humidum, aqueum, phlegmaticũ, fœmineum: opera enim tunc incipere non est probabile. Luna namq; exaltatur in tauro & in scorpione deijcitur. hoc in omnibus memoriæ tradendum est, planetas in signis exaltatos in oppositis semper esse depressos. Venerem pisces exaltant, virgo humiliat, Solis exaltatio aries, & libra est eius depresio, & sic deinceps, & vt exaltatio lætos, ita humiliatio tristes efficit: sed Luna preter cæteros etiam in vndecimo à suo domicilio signo, hoc est geminis etiam detrimentum patitur, & vt ad rem reuertar: iter terrestre arripere, proceras arbores aut montes aut turres aut scalas galinarias ascendere, nauem intrare, medicamen genitalibus apponere penitus vetamur: Nã aut naufragium aut ruinam, aut matricis, aut vuluæ, aut mentulæ læsionem sentiemus. Sed Luna in hoc signo aurã frigidam humidámq; efficiens: medicinam aut in potione vel in sorbitione sumere, debita exigere, reges adire, nuntios aut epistolas mittere, sanguinem minuere, nec non ædificare,

plan

plantare prohibet. A scorpione in sagittariũ deuenitur, quod signũ est igneum, calidum, siccum, cholericum, orientale, masculinum biforme: ex homine enim & equo centaurus est, concordiam pacémq; tractare, amicos conciliare, sanguinem detrahere, matrimonia incipere, sed non perficere, sterile enim signum est, balneum intrare, ad orientem mercandi causa tendere, opus omne quod igne perficitur laborare permittit astrologus: sed plantare, aut arare, aut quę terrena sunt, machinari prohibet. Sed in hoc signo Luna claram tempestatem non sine caliditate ac siccitate præstat, prælium verò inire, pecuniam cambire, nouis vestibus ornari, principes adire, equos emere, caput radere, vngues capillósq; præcidere, ægros medicare, iter per aquam assumere laudatur. fœmora verò & coxas nequaquam medices, nec terrestre iter arripias, nec debitũ exigas, quoniam malè succedet. Et hæc quæ de hoc diximus sunt quodammodo vniuersalia, sed cùm per decanos distinguitur, omnia particularius noscuntur. Nam in hoc signo etiam humidæ partes, sicuti in cæteris, reperiuntur diuersitates: signor

gnorum enim est quædam vis propria, vt hæc terrea, illa aëria, & alia aquea, alia ignea, qualitatibus elementorum insignita dicantur: tamen partes in eis sunt cõmixtæ potestatis, ita vt in igneis aquaticæ, & in aquaticis igneę, & in aërijs terreæ, & in terreis aëriæ partes reperiantur, ita vt in vno tantum signo omnium elementorum partes esse noscantur. Cælestia nanq; nullius peculiaria omnium, & diuersorium quidem naturam promiscuam in partibus continentia, nihil à se alienum putant. Hoc igitur dixisse volui, ne omnes partes signorum alicui elemẽto additas arbitremur. Capricornum si Luna possederit, signum meridionale, tropicum siccitate pariter & frigiditate non sine melancholia conspicuum, terreum quoq; & fœmineum, hortos parare, serere, vineas pastinare, terrena operari, iter ad meridiem arripere, illáque operari quæ citò habitura sunt finem; graues merces vt plumbum, ferrũ emere, materiam ad ædificium parare proficuum est: econtrariò malum est ad septentrionem viam dirigere, vxorem ducere, ignea opera machinari, venam ad diminuendum sanguinem incidere, portion

tionem medicam ſumere, genua aut ferro aut emplaſtro tangere, literas aut nuntios mittere. Sed tempus frigidum ſiccúmq; non ſine vento, nubes humiles & ſæpe ſine pluuia facit, agriculturam feliciter iuuans, nec illud omittendum eſt, quod Horatius ait,

-tyrannus
Heſperiæ capricornus vndæ,

ad multa ſe extendere; nam de Cæſare Auguſto dictum putatur, vt in libro de Incognitis vulgo declarauimus: In capricorno enim Mars exaltatur & ipſe ſidere capricorni natus eſt vt noſti, ſed experientia docuit vt in Italia Saturnus in capricorno ſiccã hyemem per ſe faciat, ſed hæc dominus anni variat. & hinc eſt quod duobus aliquando annis, tot enim cum dimidio in quolibet ſigno moratur, accidat varietas hyemis, nam Saturnus bis in quolibet ſigno retrogradus fit, & hinc illa Virginalia facundia ait,

Frigida Saturni quo ſeſe ſtella receptet?

frequentatiuo ex ſententia Seruij vtitur, quia bis recurrat ad ſignum. Sed, vt ego dixi, multas recipit interpretationes, nã ſi ad maris incrementum refertur, cùm Luna id ſignum teneret, alius ſenſus

eſſet

esset: & ad pluuias quoq; multas horoscopo inspecto pro aspectibus pertineret, Si aquarium, quem Ganymedem vocamus, signum fixum, aërium, humidum, sanguineum, masculinum, occidentale Luna ornauerit, ædificiorum fundamenta iacere, coniugem ducere, venas incidere, aut cucurbitas apponere, durare quæ volumus construere, nuntios epistolásq; mittere, cum sacerdotibus loqui, cum speculatoribus (sic enim Latinè eos, quos Græcitas episcopos, vocamus) & sacerdotio ornatis tractare, nigros pannos & carnes boum ceruorúmq; & magnorum animalium comparare, arbores plantare, matheseos documenta permittunt. Crura autem medicare, iter lógum & maximè per terram incipere, quæ celeritatem cupiunt, inchoare prohibent. Venimus tandem ad pisces hoc est finem zodiaci. Cùm igitur Luna pisces signum duplex, frigidum, humidum, aquaticum, fœmineum habuerit, nouam nuptam ducere, amicitias inire, argenteósq; permutare, telas ordiri, litia telis nectere, & quæ ad aquam spectant machinari, nauigare ad Septentrionem, potionem medicam sumere, epistolas aut nuntios

mittere, vestimenta & parare & de nouo induere, pannos albi coloris emere, templa deorum & quæ ad religionem spectant fundare iubemur. Sed è contrario vetamur naues in aquam deducere, hostibus obuiam ire, cum militibus tractare, vngues præsecare, podagram fouere, pedes ferro aut medicamine tangere. de his satis. Volui enim hęc magnifice Laurenti inseruisse de Luna, quoniam testimonio Ptolemæi, cùm sit cæteris planetis terræ vicinior, in rebus humanis maiorem & magis apparentem habet efficaciam, & sunt etiam ephemerides impressæ, quibus vel minimo labore cuiq; etiam inerudito locus Lunæ patere potest, vt sibi ipsi in agendis negotijs consulat, nam negligere quæ ad vtilitatem pariter & honestatem spectant, pręcipuè cum in promptu sint, hominis videtur desidiosi. Quis enim ephimeridas hoc est diurnalia, sic enim Latinè vocamus, gestare secum: & hæc quæ diximus aduertere facile est, quanquam Satyricus more suo videatur irridere,

–Ceu pinguia succina tritas
cernis ephimeridas, Ea enim tempestate maximus & frequentissimus vsus fuit

math

mathefeos. de Luna in fignis dictum eft, fed iam de fignis latius, & temporibus anni, fic enim ordo rei fe habet.

De diuerfitate fignorum & anni diuifione, & diebus annotatis in Luna.

CAP. XXXI.

SIGNORVM, vt fuprà diximus, alia funt mobila, fiue erratica, vt aries, cancer, libra, capricornus, cardines enim mundi appellati funt. aries & libra, ęquinoctiales, fiue more veterum, æquidiales: cancer fiue carcinus & capricornus tropici: vnde illud,

quãtaq; nox tropico fe porrigit in capricorno.

Mobilia fiue erratica, cùm cætera moueantur & in orbe rotentur per excellentiam dicta funt, quoniã quatuor anni tempora moueant: nam aries veris, cancer æftatis, libra autumni, capricornus hyemis initium prętant. Quatuor autem quæ his mobilibus anteferũtur, vt pifces arieti, gemini cancro, virgo libræ, fagittarius capricorno, duplicia biformiáque nuncupantur, quoniam duplicis naturæ effe perhibentur: Pars enim eorum ad præcedentem, pars verò ad fequentem anni mutationem pertinet: ita vt pifcium

figni

ſigni medium hyemale, medium verò vernale dicatur, & hac ratione ver antè incipit, quàm Sol arietem occupet, & ſic de cæteris dicendum eſt. Signa autem quæ cardines mũdi ſequuntur, fixa nuncupantur, cùm more aliorum moueantur: quoniam in his tempora anni fixa ſtabiliáq; ſunt. Nam in tauro vernum, in leone æſtiuum, in ſcorpione autumnale, in aquario hyemale tempus, Solis præſentia efficit: nam ſi illa quæ terrea ſunt tantum fixa dicerentur, vt quidam imperiti garriunt, ſcorpius & aquarius excluderentur, nam ille ad aquam, & hic ad aërem ſpectat. Sed cùm aliquando temporibus anni non correſpondeant ſolitæ qualitates, accidit ratione planetarum, & variorum inter ſe aſpectuum, ita vt aliquando hyemem tepidam, & æſtatem temperatam habeamus. hæc autem volui inſeruiſſe, ne lectores turbet inuſitata dictio cùm mobile aut fixum aut biforme ſignum aliquando occurret: Præterea non incongruum iudicaui ex quo de Luna ſuperius quædam in medium attulimus illud quoq; declarare quod primo Georgicorum ponit Virg. cùm ait:

Ipſa dies alios alio dedit ordine Luna

Felices operum, quintam fuge pallidus orcus
Eumenidesq́; satæ, & illud quoq; :
Septima post decimam felix, & ponere vites
& prensos domitare boues, & litia telæ
addere, nona fugæ melior, contraria furtis.

Hæc ferè omnia ab Hesiodo mutuatus loco quorundã præsagiorum retulit, non oblitus Democriti ostentationem. Nam sicut suprà de ortu Lunæ quarto in prognosticis relatum est, ita etiam hæc posita sunt, longæ enim obseruationis viri huiusmodi præsagia annotantes fecerunt quodammodo religiosa, sicut apud Romanos, multi dies & fausti & atri putati sunt, attamen primus ille inuentor huius Lunaris obseruationis, aut mathesi imbutus aut vaticinio inspiratus, quæ obseruanda mandauit, non videtur sine ratione fecisse : nam cùm quintum aut septimum, aut decimum Lunæ diem nominamus nulla facta de coitu cũ Sole mentione in quo signo fuerit, per excellentiam quandam in domo luminarium coisse putabimus : & quoniam totam hanc vim Lunæ tribuimus, in domo Lunæ, hoc est cancro, Solis Lunǽq; coniunctionem fuisse coniectabimus, sicut si quid Soli tribuẽdum esset ex coitu cum Luna

locis

locis ſuppreſsis, abſolutè in domo Solis id accidiſſe diceremus. In domicilio enim ſuo quiſq; planeta magnam poteſtatem habet, ſi enim quintum Lunæ ex coitu in cancro numeremus cùm hic planeta ſeptem & viginti diebus, & horis octo, vt iuniores tradunt, & verè, curſum peragat à principio cancri in leonis finem, quinq; ferè dies conſumet, & vt conſequens eſt quintus dicetur ortus, & Luna quinta: Quintum autem execrandum Heſiodo Democritóq; doctoribus Virgilius putat, cùm eo die pallidus Orcus Eumenidésq; ſint ſatæ. Nam inter cætera Zodiaci ſigna, leo multæ triſtitiæ, magniq; languoris eſt, nam eius primum ac tertium decanum infortunia infeſtant: primum nanque Saturnus & vltimum Mars ſibi vendicant, cùm in nullo aliorum ſignorum præter vnum infortuniorum reperiatur. Iupiter ergo felicitatis lætitiæq; largitor, medium leonis decanum poſſidens, vndiq; ab infortunijs & obſeſſus & pulſatus Marte Saturnóq; circumuallantibus iuuare non poteſt: Quinto igitur die & Eumenides, quæ ad furorem Martis & orcus qui ad Saturni nequitiam ſpectat, originem habuerũt Inſtigationes

ad maleficia atq; furorem, quas Christianitas diabolicas vocat sunt Eumenides quæ Martem sequuntur: orchus verò ad Saturni nequitiam pertinet: ipsius enim censentur perpetuæ miseriæ, longi cruciatus & pœnæ interminatæ. hinc igitur illam quinti diei obseruationem ortam putamus, postea ex vsu diuturno factam religionem. Nam si de coitu Lunæ in geminis diceremus licet id signum sit Lunæ infortunium, & quinto quoq; ad leonem veniret, non tantum profecto ageret, sicut in eius domicilio, nisi lumine diminuta Saturni Martis've decanorum possidens infortunatior fieret, ea nanq; cum infortunijs, hoc est Marte & Saturno Lunæ coniunctæ conditio est, vt lumine diminuta cum Marte sit felix, & crescens auctáq; Saturnum complexa contemperet ad felicitatémq; reducat: Vice autem versa contrarium operatur: Astra enim non sunt felicia, nisi etiam sint temperata, Iouis nanque humiditas cum caliditate, & Veneris frigiditas cum humiditate temperatis, sanitatem pariter & felicitatem largiuntur. Cùm autem poëta decimam Lunam felicissimam dictitet, & septimam minus felicem, hoc
cont

continet rationem : decimo enim die quatuor signa peracta trigonum Solis si à Sole numeretur: vel trigonum à loco, vbi fuit qui maximæ felicitatis est, habet: quatuor enim signa trigonum faciunt, & hic aspectuum est fortunatissimus, sicuti hexagonus fortunatus, oppositus vero infelicissimus, tetragonus verò infelix: sed quare hoc sit in sequentibus apparebit. Erit autem decimo die in libra Luna à suo domicilio dinumerata. quid autem Luna in libra operetur suprà diximus, omnia nanq; ad quietem & vitam illam agricolarum fortunatam pertinētia operatur, vnde septima post decimam felix, primam enim felicitatem decima dies, secundam verò septima dies possidet, in his quæ narrauimus. Sed die septimo erit in virgine, in quo serere, plantare, & litia telis addere vtile diximus. Si autem intellexeris septimam post decimam, ita vt ante decimam septima quæ est, septem continet dies : sed illa septima, quæ post decimam est, decimam quartā diem efficiet, die autem quartadecima à cancro discedens Luna, ad capricornum defluit, & tunc erit plena, & hæc quæ diximus operari perutile est. Nona autem

fugæ melior, quoniam Luna celeritatem apertam habens, decanum primum libræ occupans celeriorem efficit fugam, ita vt captiui qui fuerint, fugientes, summa ſine impedimento feſtinatione vtentur: cùm Luna in decano ſuo aperiat, fugámq; iuuet: Sed inutilis eſt furibus qui ciuitates incolunt, quoniam aperit ac manifeſtat furta. fur autem cùm à furuo, vt ait Varro, licet Agellius à Græcis, non diſcernens, an illi à nobis, an nos ab illis acceperimus, dictum putet, occultatione indiget, manifeſtarius nanq; grauiter plectitur: cùm ſecundum leges veteres nocturnum furem, diurnum quoq; ſi telo ſe defenderit occidere liceat. Sed hæc omnia primo fuerunt obſeruata, vt menſes à Luna dicti oſtendunt, deinde proceſſu temporis in quandam religionem redacta, numerus dierum, & non locus vnde Luna diſceſſerit pro religioſo eſt habitus, ſicut & ſermo ſequens oſtendet, nec cuiquam modus dicendi poëticus ſit admirationi: quoniam non minutias omnes enumerat: ſatis enim eſt diem monſtraſſe, & numerum non omnino exactum appoſuiſſe, quod & in alijs videmus; nam cùm mille & triginta naues

Troiam

Troiam obſederint, à poëta numero paruo neglecto dicitur,
Non anni domuere decem, non mille carinæ,
& cùm interpretes ſacræ ſcripturæ duo & ſeptuaginta fuerint ab Auguſtino Hieronymóq; ſeptuaginta tantum numero minore neglecto referuntur : non igitur mirabimur ſi non omnia exactè à poëta cantantur, nam in omni lingua poëtæ hanc habent ex arte ſua prerogatiuam, vt verbis ſententijsq; mutilatis multa ſubintelligenda relinquant, quod & acutiſsimus Auerrois oſtendit, ait enim in Canticis Auicēnæ, quoniam autores rithmicorum ſermonum in ſcientiarum actibus, quandoq; diminutione ac truncatione ſermonis, nec non poſitione vnius loco alterius indigent, eorum nobilem intentionem explicando. hæc & alia quoq; in laudem poëtarum doctiſsimus ac acutiſsimus Peripateticorum Auerrois retulit; nam & ibi quoq; vtiliſsimum dicendi genus poëticum putat, cùm propter memoriam, fortius enim & fidelius menſurata inhæreſcunt, cùm quia animam, vt ipſe ait oblectant, & rectè mea quidem ſententia, muſica igitur rebus poëticis admixta hominem ſine defatigatione ad

doctrinam capessendam, non modo inuitat, sed conseruat, thesauros doctrinarum stabiles incorruptósq; possidens, fingentis dictionẽ ornans, vt ad perscrutandam veritatis sinceritatem homines exacuat.

De quibusdam autoris incerti vaticinijs & epigrammate Claudiani & planeta victore. CAP. XXII.

NONNVLLA inter humanos versantur, quæ incerto autore feruntur, quæ quidem etsi friuola primo aspectu iudicentur, attamen olim ratione subnixa veritatem continuerunt, nam vt de diebus Lunæ suprà mentionem feci, quorum obseruatio nunc futilis cassáq, iudicatur, Cùm illius obseruationis initium non temerè habitum putetur: illa nanq; diei quinti Luna olim horrida in alijs signis animaduersa non eundem tenorem obtinet, sic quædam siue furoris siue artis diuinatio sit, quæ annua prænuntiatione nitescit, veritatem aliquando professa, nunc languescit & in ambiguo posita inter verum falsúmq; fluctuat: nam vniuersales rerum prænuntiationes hoc modo factæ veritatem non continent, nisi aut ex maximis olim coniunctionibus habea

habeantur aut diuinitus inſpiretur, quælibet enim regio ſuo fato gaudet, propter horoſcoporum varietatem : & etiam illius regionis vrbes in vno & eodem anno propter prædictam cauſam variantur : exempli gratia, cùm Saturnus caudam ſcorpionis intraret, prædiximus Patauio Antenoris peſtilentiam, & peracta cauda ſanitatem, rursúſq; propter retrogradationem Saturni præſentiam in ciuitate Patauina iterum peſtem inducturam : & ſic in alijs contingit, attamen illa peſtilentia circum vicina vrbis minimè infeſtauit. Eſt autem vaticinium tale, & vt à Ianuario more Romanorum anni initium poſt Romulum ſumatur, ita exordiemur. Cùm Calendæ Ianuariæ die Solis, id eſt dominico, more Chriſtiano, tunc enim dominus reſurrexit, fuerint, hyems erit temperata, ver humidũ, ſicca æſtas, autumnus ventis obnoxius, erúntq; regum magnorúmq; ſacerdotum magna & manifeſta pericula, annona vilis, vindemia abundans, oues ſanæ ac fœcundæ, mellis copia mediocris, legumentorum vbertas, hortorum fertilitas, páxq; erit. Si autem idem menſis initium die Lunæ capiet, hibernum tempus tepidum, ver

frigidiſsimum cum niue & glacie, æſtas verò plurimis ventorum flabris agitata grandinéq; ſeuiens proueniẽt. Autumno ſiccitate oppreſſo, frugum copiam, varios morbos cum frigiditate noxios, nec non repentinam peſtilentiam, cum modico melle (apes enim morientur) habebimus. dies verò Martis cùm Ianuario exordium dederit, hyemem vérq; ventoſum expectato: æſtatem humidam ſperato: autumnũ craſsis putridisq́; humoribus redundantem, peſtilentiam acerbiſsimam & mulierum præcipuè, nec non naufragiorum pericula plurima, regum principúmq; grauiſsimas cum anxietate ſolicitudines timeto: Leguminum, olerum & olitoriorum fructuum largam copiam ne ſperes, oleum verò & vinum abundanter habebis: eóq; anno verendum eſt, ne pagani, ſic enim Chriſtianitas à fide alienos vt ruſticos propter fidei ignorantiam habens, hoc nomine notauit: verendum inquam, ne aliquantiſper Chriſtianis inſultent. Sed ſi Mercurius eaſdem Calendas vocarit, brumæ hyemisq́, tranquillitatem, vernam temperantiam ſiccitatem æſtiuam, autumnalia incõmoda, vt longiores morbi, quartanæq́; ſunt ſecum,

cum

cum vini copia, sed tritici inopia: adolescentium morbos non sine periculis ac seditionibus in ciuitate, dolores præcordiorũ ac animæ defectus, matrices morbosas nobis portendet. Si autem à Ioue Calendæ dominationẽ in eodem Ianuario acceperint, clementem lenemq; hyemem, ventosum ver, æstatem non sine temperie, caritatem annonæ, ægritudines vulgo leues, potentioribus verò graues, cum vini oleiq; abundãtia nobis porrigent. Cùm autem neomenia Ianuaria, ita enim dicuntur Calendę, quibus Græcitas non vtitur, vnde Augustinus cùm aliquid implere nollet, se Calendis Græcis facturũ pollicebatur. huiusmodi igitur dies, cùm à Venere, vt hoc anno accidet, nomen adsumet, hyemem glacialem, ac siccam, ver asperum ac humidũ, æstatem bonã, autumnum in humidiora vergentem. oculorũ, partim lippitudine partim verò vitijs vt glaucomate aut ægilope dolores, mulieres ad amorem pronas blanditiisq; suis adolescentes allicientes, læsiones caluæ crebras, bellorum suspitiones, pestilentiámq; & latrocinia prænuntiabit. Sabbatum Calendas Ianuarias nominans, hyemen variam, ventos vernales

nales ac æſtiuos autumnúmq; ſiccum efficiens, fructus feros tardámq; vindemiam porriget: ita vt ex meſſe vindemiáq; ſerotinis plurima damna proueniant: oues non bene ſe habebunt, annona erit cara, incendiorum & peſtilentiæ frequens caſus populos offendet, hæc igitur aliquando veritatẽ continuerunt, & continebunt ſemper, ſi anni genitura cum illis olim animaduerſis ſimilitudinem habitura ſit. Ille igitur qui primo in lucem hæc ſiue furore, ſiue arte edidit, enuntiationis vaticinij've effectum vidit, ſicuti ille qui verſus vulgò habitos prius inſpectis annuis anniuerſarijs, ita vt pro ſigno reliquerit imperitis diem conuerſionis Pauli, vt eo die ſignis declaret, quid eo anno futurum cenſeatur, non quod dies ſit cauſa, puerile nanq; eſt hoc, ſed pro ſigno poſitum eſt, quod dicitur: vt ſi mathematicus genituras plurium annorum perpendens nobis pro documento futurorum relinqueret, quæ ipſe pro annorum diuerſitate in die conuerſionis ex conſtellationibus futuram nouerit tempeſtatem dixeritq;,

clara dies Pauli largos fructus indicat anni,
ſi pluit aut ningit deſignat tempora cara,

& rel

& reliqua vulgò pro ſigno reliquerit, non eſt ab re: Tunc enim cùm hoc factitatum eſt habuit veritatem, ſed noſtro tempore correſpondet cùm ſimilitudo conſtellationũ interceſſerit. Sed illi verſus, qui Claudiano adſcribuntur de Curretio, non ad anni ſed hominis genituram pertinentes fundamento Aſtrologico editi ſunt, inquit enim:

Si tua Curreti penitus cognoſcere velles
ſidera, matre tua certius ipſe canam.
Quòd furis aduerſi dedit inclinantia Martis,
Quòd procul à Muſis *debilis* Arcas *erat,*
Quòd pateris turpẽ tam cano podice morbum,
Fœmineis ſignis Luna Venuſq; *fuit,*
Attriuit Saturnus opes hoc prorſus in vno
hereo, quæ cunnum lingere cauſa fuit.

Mars in ſeptimo loco ab horoſcopo conſtitutus, hoc eſt in occaſu, ſeptima enim domus oppoſita aſcendenti, id eſt horoſcopo facit homicidas, ſceleratos aut tortores aut proditores, hæc enim furentis hominis ſunt, & extra humanitatem rationémq; poſiti: Mars igitur aduerſus, id eſt oppoſitus horoſcopo, id eſt aſcendenti, vt more Punico loquamur, effecit quod furis: & ne de alio genere furoris intelligamus, nam furor plerunq; vatum eſt,

incl

inclementiam Martis intermiſeuit, vt de atrocitate furoris dicere ſe monſtraret,

Quòd procul à Muſis, debilis arcas erat.

Arcas poëtico more dicitur Mercurius, ex eo quod in Cylleno vnde & Cyllenius, mõte Arcadiæ natus fertur. Túncq; debilis habetur, cùm aut combuſtus, aut retrogradus eſt, ſic enim omnibus planetis, excepto Sole, accidit: fiunt enim retrogradi & comburuntur & eo modo debilitantur: cùm aliæ quoq; rationes ſint: Mercurius ergo in ſecundo loco ab horoſcopo retrogradus combuſtus´ve locatus ſi ortu matutinus fuerit, natum hominem à ſcientia penitus alienum expertémq; ſcientiarum efficit, quas nomine muſarum ars poëtica intelligit, ſunt enim muſæ (vt more Chriſtiano loquamur) ſupernæ inſpirationes à Deo datæ, & cùm de fontibus, vt ſunt Aganippe, & aquæ Heliconis, & aliæ multæ cum Muſis dedicatas aiunt, nobis inſinuant eorum fontium aquas præter alias ingeniũ poëticum acuere, potus enim & cibus plurimum ad exacuenda aut hebetanda ingenia valent, vnde & Auicenna galinaceam carnem ingenijs conferre teſtatur. Erat igitur Curretius, quẽ Claudianus taxat,

& fur

& furiosus & literarum penitus expers.

Quod pateris turpē tam cano podice morbum
Fœmineis signis Luna venusq; fuit:

& hoc etiam ratione subsistit: Luna enim & Venus in tauro, qui fœminini sexus inter signa numeratur, vt suprà tetigimus, cinœdos, omnium libidinibus patentes (stupricæ enim sunt, & muliebria patiuntur) efficiunt. Nam Luna cum Venere pro qualitate signorū & aspectuum diuersa largitur: quia si Venus in aquario, & in quarto loco ab horoscopo constituatur, & Venerem tretragonica id est quadrata, aut diametra id est opposita radiatione aspexerit, hoc est si in leone vel scorpione Venus fuerit, vel cum ipsa Luna sit collocata, facit sic natos steriles qui nunquam generant, & qui nunquam se posśint coniugalibus affectibus copulare, vt hi qui puerorum coitu semper gaudeant, sicut ait Firmicus. hinc manauit illud de Ganymede figmentum, quod Martialis iocosè prosequitur:

Dixit idem, quotiens lasciuo Iuno tonanti
Ille tamen grandi cum Ganymede iacet.

Aquarius enim à poëtis fingitur Ganymedes, & hoc signum in Venere & Luna talia operatur, cum diametra aut quadrata

drata radiatione respexerint, sunt enim aspectus inimicitiarum: vt dicemus. Hæc autem tunc intercesserunt, cùm raptus est Ganymedes: rapina nanq; hostium & inimicorum est, vt

-rapti Ganymedis honores,

raquanquàm in poëmate Vergiliano raptus multifariam declaretur, etiam nostro dicto congruens.

Attriuit Saturnus opes. Hic planeta in secundo ab horoscopo loco cõstitutus, in genitura alicuius, paternam maternámq; substantiam dissipat, homines pauperrimos reddens: in secundo ergo loco, figuræ (vt Punicè loquamur) & Mercurium & Saturnum habuit Curretius: Mercurius autem Saturni nequitiam acuit, ita vt non modo pauper sed mendicus haberetur. Cùm autem ait ex lepôre sermonis & acumine epigrãmatico, hoc prorsus in vno hæreo quæ cunnum lingere causa fuit, ex arte fecit, vt auditores attentiores redderet, & magis memores huius. Sed & hoc quoq; suas habet causas, & cùm plurimæ sint constellationes cunnilingum faciẽtes satis erit nobis vel vnã adduxisse: Ptolemæus enim quadragesimo aphorismo libri Fructuum quem

iunior

iuniores à numero capitũ Centiloquium dixere, vt iam sæpe dixi, ait: quãdo ascendens ab infortunatis obsidetur, qui tunc natus est, turpibus delectabitur, & ex fœtidis rebus deliget odores: in hac genitura Mars diametra radiatione pulsat horoscopum, & oppugnat: & Saturnus Mercurio, etiam stimulatus non nihil signi communitate contribuit. Hæc volui dixisse leui quodam modo, vt omnes etiam Matheseos expertes epigramma intelligant, in genituris enim multa considerantur: nam & signorum qualitas & gradus, & fines & exaltationes, & domicilia, & decani & sexus, & vt planetæ diurni nocturniq; sint, & aspectus inter se, & domini genituræ, & plurima talia pensitantur: nam & victor, quem Punica lingua almutaz vocat, consideratur, & vt hoc clarum sit exemplo monstrabimus. Fingamus genituram alicuius esse diurnam, in qua pars aliqua secundi decani arietini horoscopet, qui quidem aries Martis est domicilium, domus quinta dicitur esse virtutũ, quinq; igitur vigores Mars in ariete possidet propter domicilium. Sol autem quia in eo signo exaltatur, quatuor duntaxat, & propter trigonum

diurnum tres, & propter decanũ vnam: virtutes igitur Solis in ariete sunt numero octo, & ideo victor & horoscopi dominus nuncupabitur in hac quam retulimus genitura: sed si eadem noctu fieret esséq; nocturna & vigesima pars arietis horoscoparet, vsq; ad quintum & vigesimum qui sunt fines Martis, tunc habita fortitudinum ratione Mars vinceret: domus enim quinq; vt dictũ est, finis duas, quæ numero virture sunt septem. Sol tantum quatuor, quoniam ibi exaltatur: Nam decani ac trigoni virtute priuatur, mutato in ariete partium numero, & in genitura tempore, nam ex diurna, nocturnam in hoc secundo finximus. Spoliatus igitur Sol vna decani, & tribus trigoni virtutibus, quatuor tantũ possidens Marti se victum tradit. Sed Mars vt victor geniture triumphator exultat: nam domus quinq;, exaltatio quatuor, trigonum tres, finis duas, decanus vnam, virtutes habent, quanquam nonnulli & maximè Firmicus, in assignãdis virtutibus dissentiant, qui decanum æquè esse cum domicilio potestatis arbitratur dicens: suo enim decano constituta hæc eadem perficit, quæ in signo suo constituta decernit.

nit. Sed iuniores & fortaßis peritiores, in huiusmodi virtutibus decanum inter postrema habuerunt.

De auge siue abside: de sublimitate & de altitudine planetarum quomodo variantur. CAP. XXXIII.

SVPERIVS exaltationem nominauimus, quam antiquiores sublimitatem nuncupant, vnde necesse est aliquid in medium afferamus, vt res elucescat. Tria enim genera in planetis altitudinum aduertũtur: prima siquidem est absis, quam Punice augem vocant, siue corruptè Græcorum vocabulo, siue adaucto à Græcis Punico. Nam cùm Pœni, vt diximus astrologiam inuenerint, verisimilius est nomen augis apud eos prius, quàm apud Græcos vocabulum absidos fuisse, ita vt animus inclinet huius vocabuli originem à barbaris prius quàm à Græcis fluxisse, & quam lingua Punica augem, Græcitas vocabulo deprauato absidem fecerit. Sed vtcunque res sese habeat, in auge siue abside antiquitas à iunioribus in quibusdam dissidet, est enim aux vel absis maxima illa distantia planætæ à centro terræ: Nam quilibet planeta, vt tetigimus, tripliciter

dici poteſt altus, & vt ordine proſequamur, inquit Plinius, A terræ centro abſides altiſsimæ ſunt Saturno in ſcorpione, Ioui in virgine, Marti in leone, Soli in geminis, Veneri in ſagittario, Mercurio in capricorno, medijs omnium partibus: & econtrariò ad terræ centrum humillimæ atq; proximæ, hæc Plinius, Nullam vt veritas poſtulat, Lunæ propter celerrimum eius motum abſidem tribuens: Sed iuniores & perſpicatiores quidem & in ſignis quibuſdam & in partibus diſſonant, nam Veneri & Soli augem eſſe geminos Alfonſus cæteriq́; narrant: vt habetur in tabulis numerorum. Nã Venus in prima & vigeſima parte & minutijs quindecim, & Sol in eiuſdem ſigni vigeſima nona non ſine minutijs augem habent, & Saturnus XXIIII. ſcorpionis. Iupiter autẽ in XXII. & XXXII. minutijs virginis, Martis leonis XXIIII. Mercurij parte XIIII. & minutijs LIIII. capricorni: eſt ergo in Sole & Venere tantum varietas quoad ſigna, cùm in partibus ad plures ſit diſſentio, hæc igitur dicetur abſis ſiue aux, tunc enim planeta altitudinem & diſtantiam maximam à centro terræ habet, cùm in his locis re-

peritur,ita vt nonnulli Mathematicorum computus in tabulis ab augibus inchoarint. Eſt & alia altitudo planetarum quæ reſpicit centrum cœli,tunc enim dicitur altiſsimus, cùm maximè à cētro cœli ſui ſublimatur, & in hac re cum iunioribus antiquitati eſt concordia, quoad ſigna: ſed in partibus aliquantulum differentię noſcitur,& huiuſmodi altitudo exaltatio atq; ſublimitas nūcupatur, quoniam maximi eſt in effectibus & apoteleſmate momenti, qua exaltatione Luna quoq; gaudet: plurimum enim poſſunt planetę cùm in hac ſublimitate verſantur, exaltatur autem Sol in XVIII. apud multos, ſed apud Firmicum XV. arietis, Luna tertia tauri, licet in Plinio quarta ponatur, Saturnus in Firmico & Plinio XX. libræ ſed apud alios XXI. Iupiter in Plinio & alijs XV. cùm in Firmico vndecima parte cancri ſublimetur: Mars Verò apud Firmicum & Plinium XVIII. ſed apud alios XXVIII. capricorni exaltationem recipit. Venus in Plinio XVII. In Firmico verò XXVII. in ceteris XXVI. piſciū ſublimatur. Mercurius in XV. virginis apud omnes exaltationem recipit:& illę nouæ de quibus diximus inter ſe ſectiones ca-

pitis & caudæ draconis suas quoq; exaltationes inuenerunt. Caput enim in geminis, & cauda in sagittario extolluntur, vnum tamen aduertendum est in signis & partibus signorum oppositis exaltionum fiunt planetarum humilitates deiectæ, in quo quidem sermone notabimus & tertiam altitudinem, in qua re necesse est moneamus apud antiquos aërem vocari totum illud spatium in quo planetæ mouentur, contra sententiam Aristotelis, de qua suprà locuti sumus: & hac ratione vocauerunt etiam cœlum, & in hoc cœlo qui dicitur aër: & ob hanc causam planetæ descendere aut ascendere pēr aërem dicuntur, vt totum hoc quod perspicuum nobis est vsq; ad firmamentum aër appelletur: hinc igitur habemus aliam planetarum altitudinem: nam vt more nostro loquamur, tunc planeta dicitur altus cùm est in summitate sui epicycli, & tūc est humilis vicinúsq; nobis, cùm in parte epicycli inferiori versatur: sed qui negarūt epicyclos more Pliniano locuti sunt, vt planeta, aut ascendat, aut descendat pèr aërem, sed cùm ascendit efficacior est, quàm cùm humilior fit, tunc enim progreditur, & in hac secunda motione regred

greditur, & in hoc motu bis etiam subsistit, ita vt directus & retrogradus & stationarius à iunioribus dicatur: sed omnes planetæ præter Solem hac tertia altitudine gaudent. Luna autem & Sol in hoc etiam differunt, quoniam Luna abside priuatur, hanc tertiam altitudinem possidens: Sol verò tertiam altitudinem respuens, abside vtitur, & hęc est matheseos vera sententia: nam licet abusiuè absidem siue augem Lunæ nominent iuniores, cùm augem excentrici Lunæ ponunt, attamen in supputationibus, vt in tabulis numerorum apparet, nihil in motu Lunę operatur, quoniam augi Lunæ aux siue absis communis non additur, sicuti in cęteris vt vera loca planetarum teneamus: est autem absis siue aux communis in quibusdam tabulis numerus siue quantitatis motus octauæ sphæræ à tẽpore quo tabulę illę fundamenta ceperunt ad eum vsq; diem in quo motum scire desideramus: his igitur antiquitas rationibus mota Lunæ absidem denegauit, sicuti ex Pliniano sermone colligemus: ei enim fidẽ plenam adhibemus in quibusdam, quoniam merus recitator existit, Marcum Varronem sæpe allegans, quo nemo ne

apud Græcos quidem, ex ſententia beati Auguſtini, doctior fuit: adducit etiam tot excellentium in omni genere doctrinæ hominum teſtimonia, vt amiſsis fontibus cogamur riuulos guſtáſq; doctrinæ, ex Plinij & aliorũ voluminibus, & haurire, & lambere: nam inter cætera neminem ahuc vidimus, qui in diſcriptionibus picturiſq́; herbarum, clarius, elegantius diſtinctiúſq; loquatur, cùm Dioſcoride admodum mẽdoſo ac truncato vtamur, & Auicenna picturas deſcriptionéſque ſimplicium negligens, nobis maximam peperit obſcuritatem, cùm plurima quæ Plinius alijsq́ue capitulatim diſtinguunt, in vnum confundens, virtutum ſimilitudinem aucupatur: quod profectò in tanto viro vituperabile eſt, non enim maiores noſtri ſine ratione vnà cum natura ſeparatim tractarunt herbas, in vno quoque ſimplicium, præter ſimilitudinem, vis eſt quædam natiua, vt experimenta demonſtrant.

De aſpectibus planetarũ & de annis vitæ noſtræ vſque ad mille, & de Cippo & Acteone cornutis. CAP. XXXIIII.

CVM ſæpenumero magnifice Laurenti, erronum id eſt planetarum

aſpectus in ſermonibus interſeruerim, nec vnquam plenè de his locutus ſim, iam tempus eſt declarare cùm temperies aut exaſpetio omnisq́; aëris in orbe varietas aſpectuum diuerſitate proueniant, quod & matheſis maxima cum facilitate deprendit, aduertens planetas ac Solem in eodem ſigno & gradu diuerſitate annorum, eandem producere tempeſtatem, ita eodem in annis die repetito, nunc pluuiam, nunc niuem, plerumq; ventos ſerenitatémq; viderint: huius tandem varietatis cauſam aſpectus inter ſe planetarum fuiſſe nouerunt: hinc eſt quod hæc mutatio maiori ex parte aſpectus ſequitur. Aſpectus igitur planetarum ſunt numero quatuor trigonus, hexagonus, tetragonus, oppoſitus: ſed qui Latinè loquuntur alio modo dicunt, vt paulò mox patebit. Nec eſt quorundam & maximè Guidonis, alioquin inter iuniores Mathematici excellentis, vera ſententia, vt anteriores aſpectus Latinè, poſteriores verò Græcè nominet: nàm ſiue antè ſiue retrò conſiderentur eiuſdem nominis ſunt. Sed trigonus à Latinis triquetrus: tetragonus quadratus: cùm autem oppoſitam rediationem indicare volunt de

diametro aſpici aiunt, quod & Gręcū eſt: nā diameter Latinè diſtermina appellatur à Martiano Capella. Hexagonū autē rarò mutāt, pro quibus iuniores & imperiti quidē trinum, quartū ſextilem oppoſitū ponūt. Trigonus aſpectus eſt feliciſſimus, hexagonus felix, cùm oppoſitus infeliciſsimus, tetragonus verò aſpectus infelix habeatur: huius autē varietatis ratio in promptu eſt. Nā à luminaribus, vt dictum eſt, omnia pēdent, omniáq; reguntur. Lunæ domiciliū eſt cancer, leo verò Solis: ab his igitur duobus omnis aſpectuum conditio naſcitur. Cancer ergo & leo oppoſita radiatione capricornum & aquariū Saturni domicilia aſpiciunt: Saturnus mala eſt fortuna, hinc igitur eſt vt aſpectus oppoſitus peſsimus ſit: nam à domibus luminarium ad domicilia Saturni defertur. Tetragonus autem malus ideo noſcitur quoniam à Marte qui malus nō peſsimus, vt Saturnus habetur, ad eadem luminaria defluit, cùm aries qui Martis cancrū Lunæ tetragona radiatione aſpiciat. Interſunt enim aries, taurus, gemini hæc tria ſigna, quartam partem duodecim ſignorum zodiaci ſunt: & ideo quadratū vocāt, itémq; à leone Solis in ſcorpionem

pionem Martis totidem signa interueniunt: oppositus ergo pessimus vt à luminaribus ad Saturnum & quadratus malus censetur, vt à Marte minori infortunio ad Solem Lunámq; pellatur, ibi nãq; de diametro hoc est de sex, & hic de tribus signis habetur aspectus. Trigonus autem & hexagonus, vt à planetis fortunatis ad Solis Lunæq; domos fluentes, vt est varia planetarũ felicitas, ita inter se differunt: Trigonus enim siue triquetrus, à Iouis domicilijs, hoc est sagittario & piscibus ad domos Luminarium vagatur: nam pisces cancrum, & sagittarius leonẽ centum viginti partium numero aspiciunt; hoc est quatuor signis, & hæc tertiã partem zodiaci complẽt: vnde & triquetrus & trigonus rectè appellantur, hexagonus, vt hoc est sextans, sexta enim duodenarij numeri duo sunt non tantæ felicitatis vt triquetrus est, quoniam ortum trahit à domibus Veneris ad luminaria defluentem, ita vt taurus cancrum, & libra leonem, sexta zodiaci parte hoc est sextante contueatur: à luminaribus ergo horum aspectuum fundamẽta fluxerunt, nec mirum putetur, nam præter cęteros planetas quadam diuersitate notantur:

quil

quilibet enim planetarum duobus domicilijs vtitur,prętet Solem & Lunam:nam Sol leone,& Luna cancro tantummodo gaudent:aries enim & ſcorpius Gradiuo, taurus & libra Dioni, gemini,virgo Cillenio,cancer Cynthiæ, leo Cynthio, capricornus & aquarius Saturno, piſces & ſagittarius Ioui,aſsignantur. Præterea omnes planetæ exceptis Sole & Luna habent fines, id eſt, more iuniorum terminos,ſed Soli finibus hemiſphærium quod eſt à leone in capricornum tribuit mathesis, tot enim nato annos præbet quot ſunt zodiaci partes: ſed excipiuntur domus infortuniorum, nam cùm ſex ſigna centum & octuaginta partes habeant,totidem annos nato Sol tribueret, niſi domicilium Martis,hoc eſt ſcorpius, & Saturni,id eſt capricornus interueniret̃, his igitur exemptis centum viginti ſigniferi partes reſtant. Tot igitur nato maiores annos Sol tribuit,& eadem ratio in Luna eſt:nam hemiſphærium quod habetur ab aquario in cancrũ totidem partes continet,ſed exceptis aquario Saturni,& ariete Martis, domus enim infortuniorum ſunt, etiam centum viginti partes reſtarent, & vt conſequens eſt totidem anni

daren

darentur nato à Luna, nisi & alia fieret exceptio : nam signum geminorũ in quo Luna tristatur pro infortunio habitum, est enim duodecimum à cancro signum, & ob hanc causam duodecim partium fit diminutio, & hoc modo partibus perpensis Luna cùm datrix annorum est, centum & octo annos largitur, cùm à Sole annorum datore centum & viginti annorum vitam habuerimus: sed dator annorum Persica lingua alcocodeus, & vitę quoq; dator Ileg dicuntur. Cæteri verò planetæ pro numero finium annorum numerum largiuntur, & licet annorum numerus maximus à planetis datus non excedat centum viginti annos, attamen testimonio & subsidio stellarum fixarum vltra millesimum annũ viui potest, sicut & instrumento veteri quosdam proxime accessisse legimus: & historiæ quoq; nostræ habent alios septingẽtos, alios octingentos annos vixisse, vt mox apparebit. Nam cùm Berosus & Petosyris Mathematici numerum annorum vitæ humanæ, alter centum septemdecim, alter verò nonaginta præfiniuerint, planetarum vim ac potestatem respexerunt, stellarum fixarum ad hanc rem potestate incogni-

ta: nam ea huiusmodi stellarum vis est, vt supramodum dona contribuãt, vt inquit Ptolemæus in libro Fructuum, Stellæ fixæ mirabiles & vltra rationem felicitatem attribuunt, sed vt plurimum concludunt eas infelicitates Saturni: hinc est vt patres illos vetustißimos & Mathusalem & alios varia tandem incommoda agitarint. Noë enim inter cæteros cùm quingentorum esset annorum, terrarum desolationem, amicorum demersionem, infortuniáq; diluuij perpessus est: nam ex eis quidam valida mente, aut cæcitate, aut alio quouis corporis vitio, aut exilio laborarũt, vt legenti facilè patebit, & in nonnullis diuina gratia cùm præsto affuerit, naturales rerum influxus auertit: Astra enim nó necesßitatem sed inclinationem adducunt, & vt ad rem reuertamur, Plinius & alij de ducentorum aut trecentorum annorum ætate non ambigunt, tot enim vixisse quosdam etiam historia nostra narrat, quod & Petosyris & Berosi inanem esse sententiam ostendit. Sed iam aliquantisper deliramẽta Pliniana rideamus cùm à seipso dissentit, nam libro septimo Naturalis historiæ ait: Alexander & Cornelius Dandonem quendam in Illyrico

lyrico quingẽtis vixiſſe: Xenophon Plutinorum inſulæ regem ſexcentis: atq; vt parcè mentitus, filium eius octingentis: quæ omnia inſcitia temporum acciderunt, annum enim alij æſtate vnum determinabant & alterum hyeme, alij quadripartitis tẽporibus ſicut Arcades, quorum anni trimeſtres fuere, quidam Lunę ſenio vt Aegyptij, itaq; apud eos ſingula milia annorum vixiſſe produntur, hactenus Plinius. Pudet me profectò, pudet Plinium tam delirum aliquando noſci, cùm hæc inſulſa ac puerilia fundit: nam ad refutandam Xenophontis & Alexandri atq; Cornelij narrationem, neceſſarium erat apud Illyricos & apud Plutinos hanc fuiſſe annorum varietatem, & hoc pacto confutatio proceſsiſſet: nam ſi ego dicerem in Euangelio à bimatu & infrà pueros fuiſſe iuſſu Herodis occiſos: & vellem hoc ſermone intelligi puerum ſex menſium tantum & non antiquiorem occidi ex Herodis ſententia debuiſſe, vt puerorum cauſam tuerer, adducerem conſuetudine Arcadica trium menſium eſſe annum, vana eſſet defenſio, oportuiſſet enim monſtrare oratorem pueros defendentem in Iudæa & apud Herodem, hanc

hanc annorum mensuram & non apud Arcades fuisse: si Plinius igitur illos tam grãdeuos fuisse negare optabat, & id esse verũ nobis persuadere nitebatur, huiusmodi argumentandi modos accomodare debuisset; sed fingamus, vt ipse ait, semestrum fuisse annum apud quosdam, ita vt ęstas vnum, hyems alterum annum fecerit, adhuc Berosi & Petosyris qui stellarum fixarum aut non nouerunt aut neglexerunt efficaciam, sententia exploderetur: nam illa octingentorum annorum ętas ad computum nostrum redacta quadringentorum esset annorum: & si trium esset mensium annus adhuc Petosyris & Berosi falsa esset opinio: nam octingenti anni ad modum nostrum computati ducentos efficerent annos, & illi nullo modo ad hunc numerum annorum perueniri posse dixerunt, vt suprà narrauimus. Si verò motus Lunares qui menstrui sunt anni, dicerentur octingenti anni tales, non implerent annos nostros octo & sexaginta: si ille igitur ad sexagesimum octauum ferè annũ peruenit, erat'ne hoc historiæ tradendum, tanquam in ętatibus admirabile, cùm hic sit communis vitæ cursus? Xenophon ergo & alij hanc vetustatem

ſtatem non vt miram nobis tradidiſſent. Sed vt ad rem reuertamur, planetæ per-paucos annos tribuunt, vt narrauimus, ex beneficio enim eorum vltra centum & viginti annos viui non poteſt: quicquid igitur huic numero annorum in vita additur eſt ex adminiculo ſtellarum fixarum. Quod autem ad maximum annorum numerum venerint aliquando homines, etiam Valerius Maximus teſtatur, qui in capite de ſenectute ait. Alexander verò in eo volumine, quod de tractu Illyrico compoſuit, affirmat, Dandonem quendam ad quingenteſimum vſq; annum nulla ex parte ſeneſcentem proceſſiſſe. Sed multò liberalius Xenophon, quoniam is Latinorum regem octingentis vitæ annis donauit, ac ne pater eius parum benignè accepiſſe videretur, ei quoq; ſexcentos aſsignauit annos. Valerius igitur alijq; celebres autores tot annorum numerum vitæ illorum ſine aliqua trepidatione freti ſinceritate hiſtoriæ tribuerunt, cùm illas annorum & mẽſtruas & trimeſtres ſemeſtréſq; menſuras non ignorarint. Sed tu Plini à te ipſo diſſentiens in laqueos incidiſti, nunc hiſtoriã fabuloſam putans, in arduis ma-

ximisq; rebus ſynceram verámq; arbitraris: nam in vndecimo libri tui ais, ſed quæ iure cornua intelligantur quadrupedum tantum generi, Acteonem enim & Cippum etiam in Latina hiſtoria fabuloſos reor: Cur Plini ab hiſtoria Latina diſcedis in qua ſemper inconcuſſa veritas denarratur, ita vt à noſtris hiſtorijs teſtimonia ſumpta pro certiſsimis habeantur? in rebus enim diuinis & miraculis Auguſtinus, Hieronimus nunquam negarunt: de Græcis alia ratio eſt, fuerunt nanq; etiã in hiſtoria mẽdaciſsimi, quod & Cicero taxat & Satyricus confirmat,

-Et quicquid Græcia mendax
audet in hiſtoria. Sed Latina hiſtoria hoc eſt ſyncera veritas, vt Valerius alijq́ etiam cum imaginum teſtimonio Genitio Cippo concionanti cornua apparuiſſe teſtantur. De Acteone Græcia narrat. has ergo in hoc negotio & Græcam & Latinam hiſtorias contra Plinij deliramenta ſacrum diuinũmq; inſtrumentum corroborat, in quo multos ex antiquiſsimis illis ad grandem numerum annorum perueniſſe, & Moyſi maximo prophetarum cornua fuiſſe commemorat: mera enim veritas in ſacro eloquio recitatur, ſed

ſed Plinius animo fluctuans nunc hiſtoriam negligit, nunc verò pro diuino teſtimonio habet: nam in libro decimo ſeptimo, vt dictum eſt de fœminis in mares verſis, vt oraculum quoddam Latinam atteſtatur hiſtoriam.

Quare ſigna Zodiaci animalium nomina habeant. CAP. XXXV.

NONNVLLOS miraturos arbitror magnifice Laurenti cùm aliquandiu in aſtris verſati ſimus, nihil me ferè attuliſſe quod ad nomen familiæ tuæ pertineret, nam cùm Medica familia belli paciſq; moderamina habeat, cur etiam obijcerent aliqui mentium ac animorum dubitantium non procreat curatores? dubijs enim rebus mentes hominum implicitæ ac perplexæ ita ægrotant, vt quieſcere nequeant, quoad eas morbus heſitationis affligat: fixa enim cogitatio & ſomnum & cibi potúſq; appetentiam fugat, vnde naſcitur ægritudo illa morborũ omnium mater. Sed luce clarius apparet ex hac eadem familia talium rerum medicamina abunde contribui cùm doctorum hominum turba humanitatem tuam pariter & liberalitatem magnifice Laurẽti, maxima

alacritate secuta, id profectò efficit quod familiæ tuæ nomen profitetur, & vt de me loquar, magnificentia & liberalitas & amor in viros doctos & tuum acre in disciplina iudicium inuitarunt, vt hoc antidotum mentium contemperarem: vnde sumeram de his quæ imperitorum hominum mentes obtenebrant, hi enim non possunt non admirari cùm de cœlo loquimur monstra quædam & bruta animalia ibi versari Quis enim vnquam tantæ perspicaciæ fuisse dicitur, qui in cœlo arietem, taurum, geminos, cancrum, leonem, virginem, libram, scorpionem, sagittarium, capricornum, aquarium, piscésque viderit? Nam nobis solertissimè intuentibus non nisi stellæ sine forma imaginum apparent, vnde par furori esse putatur id asserere, quod nec visus ostendit, nec ratio dictat. Sed hæc omnia mentes afficientia exigua quadam sorbitione numine familiæ Medicæ composita sanitatem recipient. certissimũ est in cœlo nulla esse lineamenta quæ tales imagines præfigurent, & in eo nullus circulus apparet nisi via lactea & zodiacus: reliqui verò qui numerantur, finguntur à mathematicis: nam & ipse æquinoctialis ab ortu

ortu & occaſu ſignorum penitus dependens, imaginarius & in nono cœlo eſt. Tunc enim ſignum dicitur ortum, cùm pars ęquinoctialis ei correſpōdens emerſerit: non enim omnibus zodiaci partibus æquinoctialis æqua portione commenſuratur, & ab hoc eodem & imaginario quidē circulo declinationes tropicorum etiam menſurantur, de hoc ſatis. Quare autem nomina ſignorū ficta ſint ratio eſt efficax. Mathematici, vt ordine progrediamur, ſignorum primum dixerunt eſſe arietem, non quia aut linea aut terminus aliquis hoc oſtendat, nam in figura circulari non eſt nec finē nec principium inuenire, ſed volentes inueſtigare anni geniturā, quæ principium vniuſcuiuſq; rei facit, omnibus iterum atq; iterum perſpectis ortum ſingulorum ſignorum notantes inuenerunt, formato horoſcopo, in nullis ſignis prænuntiationis veritatem prouenire niſi horoſcopante prima arietis minutia, quam cùm Sol obtinet oriens anni principium ita facit, vt quæ prædicuntur veritatem ſortiantur, in reliquis autem ſignis nequaquàm contingit, & ſicuti progreſſus vitæ hominis initium geniture conſequitur: ita anniuerſalis feli-

citas aut infelicitas horoſcopantē in ariete Solē comitatur: hoc igitur modo primum ſignorum dixerunt eſſe arietem, & vt diximus in genitura hominū natiuitas conſiderata totius vitæ curſus demōſtrat, ita anni natiuitatem atq; principium id eſſe cenſuerunt, vnde totius anni fundamenta dependent, quoniam in eo ſigno tantum futurorum veritas intellecta eſt: ſi enim primam tauri minutiam poſſederit, & tunc horoſcopum firmaueris, ex quo tota figura cœli perpenditur, nihil penitus ex his quæ futura dicemus eueniet, & ſic de cæteris dicendum eſt, quoniam illa non eſt genitura & principium anni, à principio enim omnia pendent, & ideo Manilius libro aſtronomicôn ait,

Naſcentes morimur finiſq; ab origine pendet.

& Seneca etiam in Tragœdijs,

primuſq; dies dedit extremum. His igitur rationibus ſignorū primum arietem eſſe diximus. Sed cur hanc conſtellationem arietem & non hircum aut capram dixerint, cùm nulla forma appareat, etiam ſi à ſtella ad ſtellam lineam duxeris, nullius animalis formam effeceris, quidam admirantur: nam ex theologis ſunt qui huiuſmodi in cœlo monſtra vt ſomnia delirant

rantium putant, nisi causam huius nominis & cæterorum intelligerent. Nam triginta partes zodiaci quæ duodecimam portionem hoc est vnum signũ efficiunt, arietem nuncuparunt, quoniam quæ tractanda ostendendáq; sunt, nisi nomẽ habuerint indicari non possunt, ita vt indenominata pariant cõfusionem, & ideo ab illis diuinis hominibus portiones zodiaci duodecim nomine sunt insignitæ: ita vt omnes illæ stellæ duodecima parte signiferi interclusæ arietis nomine nũcupentur, quoniam nullum in terris animal reperitur, quod magis simile sit naturæ harum stellarũ, quàm aries: nam vt dictum est prima constellatio aries nominatur, quoniam stellæ arietẽ constituentes reddunt hominem diuini cultus amatorem, faciem habẽtem mitem, summa cum humanitate incedẽtem, ita vt videatur ouicula quędam, & huiusmodi herôes etiam scriptura sacra nomine agni appellat: facit etiam caput firmum. Nam huiusmodi animal duri capitis sine læsione arietat. imò ex duritie sua machinamẽtis bellicis nomẽ dedit, aries enim machina in bello notissima est, redditq; natum statura mediocri, vagum, mobilem, vt illius natura

fert,& vt suprà diximus, cùm animal hoc ruminet, prohibemur medicamenta sumere ne nausea vomitúsq; sequantur, vagus autem ac mobilis est aries, vt dixi, nunquam diu aliquo in loco moratur, non admirabimur figmentum poëticum, cùm Phryxus & Helle in exilium electi, vt vagarentur, arietem ascendisse cantantur: præterea cùm eclipsis Solis in hoc signo fuerit, ouium pestilentia maxima prænuntiatur: defectus ergo sideris oues enecans lanigeri arietis nomen corroborauit, cùm huiusmodi defectus, hoc maximè precipuè animal lædat. Sunt autem in ariete stellæ numero tredecim, sed extra formam animalis fictæ quinq; sunt natura participantes. Sacram autem antiquorum huius signi tutelam ideo Palladi adscripserunt, ita enim ait Manilius,

Lanigerum Pallas, taurum Cytheræa tuetur:
quoniam diuina sapientia, quam Pallas repræsentat, quæ idem cum potentia diuina est, vt theologicè loquamur, mundum creasse creditur, cuius initium arietem esse asseruimus: veruecem tanquam natura mancum dicere noluimus, sic nec taurum bouem: ne castratum & fœcūditate priuatū signum intelligamus, Taurus

rus enim & domitũ bouem innuit: Virg.

Fortes inuertant tauri: & Propertius,

Nauita de ventis, de tauris narrat arator,

Bos Græcis nobisq; commune vocabulum est, sed merum Latinum bouem significans apud veteres trion à terendo dicitur, vnde & septentrionem manasse propter currus formam non sine ratione cognoscimus. taurus ergo in cœlo esse narratur, quoniam in hominum genitura cum stellæ hoc nomine appellatæ vim suam exhibent, natum staturæ magnæ, corpulentum, viribus valentem, incessu tardum, oculorum grãdium, latæ & præcisæ frontis cilonem, in agendisq; negotijs tarditate vtentem, labores optimè tolerantem: sagaciorem quàm fronte appareat, certissima ratione efficit: dat etiam hæc constellatio crassum collum, guttur amplum, humeros latos, quæ omnia magis huic animali quàm cæteris & forma & moribus conueniunt. Accedit ad hoc quod in iumentis & ad trahendũ vehendúmq; pręcipuè candidis, & voluptarijs, nec non in margaritis & in his quæ ex aqua sumũtur, tauri sidus fortunatos reddit, vbi nonnihil poëticum latitat: vecta enim Europa à Tauro per aquam est: &

poëta Virg. nobis nõ ſine ratione cecinit
Candidus auratis aperit cũ cornibus annum,
Taurus: cùm rerum candidarum huius ſideris curã vaticinio poëtico inſinuare voluit. Signum autẽ tauri duabus & triginta ſtellis conſtat: vndecim verò natura participantes extra numerantur, ſed de ſexu, quoniam, vt inquit Ouidius, de eo, poſteriora latent ambigitur, nemo enim adhuc intellexit taurus an vacca ſit, quod prima facie leue, grauem ſentẽtiam continet, in eo nanq; & quę muliebria & quę etiam virilia ſunt reperiuntur, quæ in effectibus ſexus ambiguitatem effecerunt: hoc autẽ more antiquo ſignum ſolidum, quod nos fixum vt ſuprà habuimus, ſicuti arietem ſignum erraticum, & more noſtro mobile nominauimus. Geminos inter cœleſtia etiam nominis ratione habita locauerunt, hoc autẽ ſignum, cùm vim ſuã exercet: manus & brachia ornat, quæ ita cognata ſunt membra, vt ſub geminorum appellatione deliteãt, libidinoſos efficiens, cùm in coitu coniunctio congeminatióq; corporum requiratur, credulos faciléſq; placatu reddens, dilectionis fraternæ non obliuiſcitur, credere enim alteri eſt quodammodo alteri ſe iungere,
hoc

hoc est in eius dicta confluere, vnde hoc sidere cöiunctio conciliatióq; nascuntur. Nam si Luna vel domina genituræ, in hoc signo aut hoc signum horoscopans est in genitura alicuius, amicos adducit, societatem & amicitiam inter duos maximè procreat. Sed cùm Mercurius fines Veneris, qui in hoc signo sunt, tenuerit, musicos dulci modulatione canẽtes reddit, quod etiam concordiæ est, fides enim chorda instrumẽti musici testimonio Festi dicta est: quia inter se vt fides inter homines concordat poëtæ autem hoc sidus ex Castore & Polluce constare finxerunt, qui gemelli, tanta fuere cõcordia, vt alter pro altero nominetur. Vergil in Georg.

-domitus Pollucis habenis

Cyllarus. cùm nusquam legatur Pollucem equo vsum, imo Horatius ait

Castor gaudet equo: ouo propugnatus eodem,

pugnis. Pollucem ergo pro Castore sine differentia nominauit, & cùm alter eorum, id est Pollux immortalis, alter vero id est Castor mortalis foret: tanta inter se pietate iunguntur, vt Pollux cum Castore fratre immortalitatis dona communicet, hinc Virgilius:

Si fratrem Pollux alterna morte redemit,

ita vt

ita vt ipse plerunq; vicissimq́; moriatur, vt viuat frater, hoc autẽ fictum est, quoniam stellæ geminorum ita sunt in cœlo collocatæ, vt vna prius quàm altera ab oriente emergat, & tunc illa dicitur viuere, quia sicut occidere stellam dicimus quæ in occasu est, ita pari ratione viuere dicetur, quæ ab oriente emergit: vt exempli causa Pollucis stella mane citius apparebit & viuet, alia verò tunc non apparens nondum reuixit: mortua ergo dicetur. Sed vesperi cùm tenditur ad occasum quæ prius orta est prius occidit, & tunc post Pollucis occasum id est mortem, castor apparet, & viuit, & hoc modo singulis quibúsq; diebus, vicissim & oriuntur & occidunt: occidere autem vt diximus commune est ad mortem & ad occasum, hinc illud Annei Senecæ,

Tiphys in primis domitor profundi,
liquit indocto regimen magistro,
littore in extremo procul à paternis
occidens regnis. Sed gemini iacentes ab orizonte emergunt, pedibúsq; occidunt, nam si recti orirentur, non facerent illam apparentiæ vicissitudinem. Tales igitur causæ signum geminorum illustrãt, quod duodeuiginti stellis constat, suæ naturæ

simi

ſimiles, extra ſe ſeptem alias trahẽs. Cancer etiam in cœlo ex vi & natura ſtellarum nomen adipiſcitur, eſt enim maris aquarúmq; poſſeſſor & rector, qui cùm in alicuius genitura ſe ipſum fundit proprietatem natiuam explicans, hominem ſui ſimillimum facit, in parte ſuperiori corpulentum, ſed circa femora cruráq; cum tibijs gracilem, paruorum oculorum ac hebetium, deformis vultus: longorum brachiorum, corporaturæ imbecillis, formidoloſum, omnia ſuſpicantem, ramuſculos ex minimo aucupantem reddit, dominatur oſsibus pectoris, dorſo, lieni, pulmonibus, coſtis, quæ inuerſa cancri figuram monſtrant, vt in libro de Homine declarauimus. De hebetudine oculorum ratio affertur, quoniam in ſignis tropicis Sol & Luna ſynodica ratione coniuncti ita vt Luna ſit omni ſplendore priuata, & cum his ſit Mercurij numen, ſapientiam maximam & omnibus ſeculis admirandam, ingenium fœcundiſsimum, multarum rerum ſcientiam, cum oculorum cæcitate & debilitate corporis tribuunt. Cãcer igitur deformis ac imbecillus thorace craſſus femoribus tibijsq; gracilis, ſed brachijs lõgior, oculis cæcutiens, iure

ac merito hoc nominis habuit: nam & Homerus & Thamyras & Tyresias sapientia clari, cæcitate deformes vi huius signi effecti sunt: nã in carcino, sic enim Græcè dicitur: Lucanus, idémq; quod carcinus ardens humidus ægoceras, vndecim stellę sunt, extrà verò naturæ consimilis quatuor numerantur, ex quarum numero, duæ in testa ipsius cancri, quas vocant asellos, intérq; eas nebula apparet quam vocant præsepe in quo cæcitatis omnis vis existit: hinc illud Propertij,

octipedis contra terga sinistra time:

octipes autem est cancer, vnde

octipedis frustra quærentur brachia cancri,

Vnum tamen non est obliuioni mandandum, in hoc signo plures esse gradus vitiosos: quos Punica lingua azemana vocat. Leo signum inflammatæ caliditatis, dissipans, versutum, talia enim operantur stellæ, quæ leonis appellatione tenentur, quæ cùm vim natiuam ac propriam in alicuius genitura exercent, natum in pugna victorem animi regij efficiunt, sicut leo brutorum rex appellatur, nec nõ austerum, audacem, fortẽ, palam publicéq; se ostentantem, à superiori parte natum corpulentum, ab inferiori verò gracilem

redd

reddẽs, cuiuis leonem intuenti hanc formam leoninam esse persuadebit, cùm id animal, lato & toroso pectore, exili crure formetur, & in genitis vultum atrocem, spiritum inflatum, armos amplos, nõ sine crassitudine operatur, pernicitatem autem pedum, cor magnificũ & inuictum præstans, in re militari ac principatu fortunat. Sed hęc omnia conuenientius huic quàm vlli animalium tribuuntur, vnde & nomen inditum est, sed in homine latera, iecur, & cordis infimam partẽ vbi animositas viget, (Nam leones animosos esse etiam vulgus nouit) regit, & possidet, stellæ autem huius sideris apparentes sunt xxv. & ante ipsum clarissima stellarum canicula, vt postea docebimus, & in leonis pectore etiam clarissima est, quam tuberonẽ vocauit antiquitas: Sed extra leonis imaginem natura participantes sunt stellæ octo. Vnum iterum atq; iterum repetẽdum esset, omnes mathesim profitentes in hoc conuenire, pessimum fore nouas vestes induere, cùm luna fuerit in leone, signum enim calidum caliditatem vestium addi prohibet, ne furor oriatur: nam simile additum simili facit furere. Virginem etiam à sideris apotelesmate nun

nuncupant, nam ſtellæ apparentes quæ numero vndeuiginti cenſentur, ſi viribus ſuis ac proprietate vtantur, hominē pulcherrimum, aſpectu faciéq; virginea nitidum, caſtigato ventre, labellis tenuibus, capillo plano, pedibus paruis virginali decori conuenientibus non ſine gratia exornant, caſtum, pium, veridicū, honeſtum minima quæq; inhoneſta verentem, reddentes, & ſi in hoc ſigno fuerit Luna, ex virgine ducta in vxorem perpaucos liberos procreabis, cùm vt diximus in hoc ſigno Venus cadat, quæ exaltatur in piſcibus, piſces nanq; & virgo oppoſita ſe radiatione laceſſunt, optimū quippe factu eſt, vt in caſto ſigno Venus lãgueſcat: hoc igitur apoteleſma rectè cohæret. Sed in corporibus humanis, aluū, inteſtina, vmbilicum cùm habeat, nemo dubitabit huiuſmodi partes pudore virginali contegi debere. Sunt autem huius ſideris ſtellæ XXIII. inter quas illa quã ſpicam vocitant verſatur: extra verò imaginē ſex locãtur participes. Libra iam ſequitur, lumbos, vertebras poſsidens, vt dictum eſt, ab æquatis iuſtitiæ lancibus nomen inuenit, pondere enim numero & menſura examuſsim pēſitatis, iuſtitiæ vexilla porrigit, illi

illi nanq; bilanx tribuitur à qua & non à forma imaginis nomen tale accepit: non igitur mirum est si Virgil. primo Georgicôn Augusto Cæsari eam cœli partem,

Qua locus Erigonem inter chelasq; sequentes,

sedem optãdam tribuat: vt in libro de Incognitis vulgo latè locuti sumus, supputatis retrò temporibus, & in antè dictis hoc idem retulimus, Sed hanc octo stellę ornant, cùm exterius in natura cõformes nouem sitæ sint. Scorpio signum à suis moribus & non ab animalis similitudine nomen inuenit: hoc enim sidus, mendacia, proditiones, adulationes, dolos, nec nõ stratagemata militaria machinatur: speculatores, grassatores, susurrones, detrectores, maledicos efficiens, rumores, rixas, imposturas & alias huiuscemodi fallacias struit: vbicunq; enim dolus subesse noscitur, aculeum scorpionis esse suspicamur, in conspectu & ante oculos blandum, retrò verò mordacem, adulatores nanq; & homicidæ ex sententia theologorum vt excedentia & excessa militant, nam adulatio homicidio grauior in hoc quòd animos populatur, cùm parricidiũ corpus destruat, animos autem corporibus esse pretiosiores etiam aniculæ no-

E uer

uerunt. Sed cùm homicidium irreuocabile ſit,adulatio verò emendationem recipiat, certiſsimum eſt grauius eſſe adulatione parricidium. hæc igitur quæ doloſa ſunt ſcaténtq; fraudibus merito huius inſecti nomen obtinuerunt, vt talis conſtellatio ſcorpius dicatur, qui non aperta fronte,ſed aculeo caudę ictum infligit: hinc eſt vt præpoſtera Venus & adulteria & emaſculationes huic ſideri aſsignētur:eſt enim in eo gaudium Martis, ita vt verenda corporis, vt vuluam, membrum,podicem, herniam, coleos & alia quæ fœda & viſu & relatu ſunt, poſſideat. Sed ſcorpio & inſectum eſt & pro genere flagelli ponitur,vnde in libro tertio Regum, & ſunt verba Roboam filij Salomonis,pater meus cecidit vos flagello,ego autem vos cedam ſcorpione. Scorpio autem eſt etiam genus ſpinæ incuruę aculeatæ à ſimilitudine vel animalis, vel animal à ſimilitudine ſpinæ dictę.Plinius tertio decimo Naturalis hiſtoriæ Tragon & Aſia fert ſiue ſcorpionem, veprem ſine folijs ramis rubentibus. idem viceſimo primo, in totum ſpina eſt aſparagus ſcorpio,nullum enim folium habent.Cędere autem ſcorpione eſt grauiter verbera

berare, nam ſine folijs ſpina tantum aculeata abſq; obſtaculo vulnus infligit: vepres autem à valde prendendo dicti ſunt, de quibus poëta Virgilius,

-& ſparſi rorabant ſanguine vepres.

ſunt igitur ſcorpionis ſideris ſtellæ numero X X I. extra autem tres dumtaxat numerantur. Sagittarius qui & Chiron Centaurus eſſe creditur, biformis ex humana ferináq; natura compoſitus nomen hoc non ſine ratione inuenit, proprietas enim ſtellarum quibus ornatur hoc expoſtulare videtur: nã cùm omnes rectiſſimè intueri cupientes altero oculorum clauſo vim luminis intendant ſecundum illud Perſij,

-atq; oculo rubricam dirigit vno: nam hæc ſidera vnoculus faciunt, ſagittariorum more vtentes, & cùm hæc eadem ſuperuacuis membris humanum corpus infeſtent, vt duobus capitibus, brachijs quatuor, digitis ſex, teſticulis aliquando tribus, quæ omnia cum monſtroſi ſideris nomine efficiuntur. Centaurorum natura monſtrifera eſt, fuiſſe autem Centauros & Satyros diuus Hieronymus in vita Pauli non negauit, Sed humana facie, pars ſideris quæ eſſe dicitur, homines nó

indecoros procreat flauo crispóq; capillo exornans, fortes verò & audaces ac cursu veloces, & in equis aut equabus felicitatem in his præsertim qui equitibus conueniunt, centauri natura largitur, cũ ex equo hominéq; participet. Accedit etiã quòd hoc signum & coxas & femora moderatur, nullum igitur animalium similius naturæ stellarum inuenientes Mathematici hanc appellationem finxerunt, sed stellæ numero triginta vna huius signi sunt, & extra tres tantum relucent. Capricornus qui Græcè ægoceros, Lucan. Humidus ægoceros, à similitudine effectuum sideris ipsius nomen adeptus est, id enim signum cùm vim ac naturam longè in genituris explicat, natũ tristem, macilentem, tremulum, frigidulum cum facie deformi, & oblonga & subcaperata nulli hominum grata, oculos abactos, visu tamen acutos, nec non barbam incompositam, sensus simplices, locutionem trepidam, & inculcatam, ineptijs scantẽtem, ambulationem hominis fatui efficiens, aptissimum nomen sibi accomodauit: Caper enim barbæ incompositæ, sensus hebetis, luminisq; acuti animal est, nõ enim minus noctu quàm interdiu cernit testimonio

monio Plinij, vocem autem tremulam, vultúsq; tristitiam & corporis maciem qui in capris non vidit, cęcus est penitus, & cùm capræ capreæque, & campos & montes incolant, non mirabimur ab hoc sidere & in agricolatione, & hortis, & animalibus quibus terra colitur, fortunatos gigni, cùm & lapides & materiam ad ædificia summa cum felicitate suppeditet, genua ex homine poßidens, Martis exaltationem sustinens, vnde in libro nostro de incognitis vulgo Suetonij dictum declarantes, cùm ait Augustum sidere capricorni natum, ad conceptionem retulimus, vt horoscopo, magnitudo Augusti cæsaris quadret, & quod de pluuijs quoque in hoc libro est, ibi ad Augustum relatum illud Horatij,

–*Tyrannus*
Hesperiæ capricornus vndæ,

quod plurimas interpretationes recipit, vt dicta poëtarum sunt, nam & siccitatem & humiditatem sub hoc sermone comprehendimus, humidum enim qui capricornũ dicit. Lucanus vt hyemale signum intellexit, quoniam Saturnus per se cùm frigidus siccúsq; sit, magis siccitatẽ quàm humiditatem operatur. Huius autẽ signi

ſtellæ duodetriginta tantummodo ſunt. Aquarius qui hydrochous dicitur Grçcè à Catullo, plurimis ſtellis ornatur, nullum enim ex ſignis zodiaci tot ſtellas habet, quem quidam Ganymedem, quidam verò Inachum eſſe aſſerũt: & ob hanc cauſam Anneus Seneca in Tragœdijs ſe medium præſtans ait,

& verſas quiſquis es vrnam: quod & rationem habet, vrna vas indicat huic ſigno immobiles aquas & vitiatas vt lamæ, ſtagna, paludes ſunt, & alia huiuſmodi tribuimus, habet enim vrnam in qua aquæ clauſæ, ſine motu vitiantur. Sed cùm ſtellæ aquarij ſuas in genituris vires effundunt, hominem ſucci plenum, coloris viuidi, candidiq́;, ſtaturæ decentis vultúsq; formoſiſsimi, pulcherrimi naſi, capillorum flauorum atq; denſorum facientes, eloquij ſuauitatem, verecundam faciem, mitem, venuſtam cum gratia, intérque atrienſes ſtrenuũ, perpulchrè miniſtrantem, fortunatum ac libidinoſum hominem præſtant: non igitur ab re eſt vt ſub nomine ganymedis vis hæc ſideris latitans includatur. Is enim forma pulcherrimus à Ioue raptus: nam & hoc etiam myſticum eſt, inter atrienſes pincerna eius

eius factus dicitur, & sub hoc signo crura hominum esse mathesis enarrat, quod & verisimilem habet formã. Crura enim nostra si inuertantur vasorum & vrnæ speciem præstant: nam suræ ventrem, & subfragines collum vasorum referunt, Colla enim strictiora ventribus in huiuscemodi vrnis conspicimus: rectissimè igitur propter vrnam crura immobilésq; aquas, huic signo simul cum vna & quadraginta stellis assignamus: necnon tres alias participantes extra eius imaginem connumeramus. Pisces extrema zodiaci occupantes, subsident enim & in aquis de natura sui sunt, cũ cætera signa terram colant, nam cancer & scorpius quãquam de trigono aqueo esse noscantur, nonnihil tamen in terra versantur & viuunt: meritò igitur pisces infimum ac vltimum locum tenuerunt, habéntq; in figura hominis pedes, cuius quidẽ sideris proprietas cùm se in genituris hominum explicat: nam squamis signum relucet limpidam, nitidámq; naturam, faciem rotundam, oculos mites & hebetes, nasum & labia crassa, scapulas amplas, brachia breuia, lubricum agiléq; corpus, pectus latum, breue crus, & hominem leui de

causa formidulosum, credolum, placabilem, & propter hanc causam pronum ad religionem reddens, naturam piscium imitatur, squamis namq; nitor inest, & credulitas cum facile escis hamisq; decipiantur, hebetioribus oculis pisces habentur, non enim vident retia & alia quando non sunt maxime sensibilia. Nos enim oculis acutioribus sumus quàm pisces, sed inter cætera animalia in multis deficimus. Speties enim humana in olfactu manca est, nam animalia tenuissimum quodq; olfactu comprehendunt, vt amicum ab hoste, vt filium ab alieno, vt proficuum à noxio, sicuti & in canibus & ouibus alijsq; perspicimus. Nos verò non nisi maximè sensibilia odoratu intelligimus, sic enim in libro de Anima Aristoteles sentit, vbi exacta est philosophia: sed in Problematum decimo oppositum sentit, in quo nemo admiretur: nam problemata oratorias magis quàm philosophicas rationes habent quæ cùm quadam hæsitatione ponuntur. Interrogat enim sæpe vt ratio problematum requirit, ne videatur aliquid affirmare philosophus, & nisi ita sese dicendi modus haberet, profectò multa in eo libro deliramenta,

& ma

& maximè cùm de ſternutamentis loquitur interpoſita noſceremus, ſed libri Ariſtotelici ſumma cum diligẽtia lectitandi:ne vel liber de Animalibus, vel Problemata, vel Meteororum codex nos illaqueent: ridicula enim plurima eſſe viderentur, atq; vtinam omnes docti, more Beati Auguſtini vterentur, doctiſs. enim & ſanctiſs. vir, ſua errata quæ ipſe nouit in vnum volumen quod Retractationum dicitur congeſsit, de his ſatis, ad rem igitur noſtram rediens dico: Hoc ſignum piſcium hominem natum, multorum itinerum atq; locorum auidum efficit, ita vt domicilia ſæpe permutet, at fornicatores adulterósq; efficit, aurea autem & argentea opera tractare ex nitore ſquamarum quiuis bonum eſſe deprendit, nam & hæc & quæ in aqua vel ex aqua fiunt, omni ratione ſecundat: verendum tamen eſt ne conceptus Luna in piſcibus exiſtente comitiali morbo grauetur: ſed concordiã tractare vnionémq; èfficere cùm duo ſint piſces inter ſe commiſſura ligati, commodè Mathematici aſſerunt. Sed quid de libidine loquamur, cùm in piſcibus vt dictum eſt, Veneris exaltatio, & tanta vis piſciũ breui & maximè in mari

crescat, vt & cæteris & sibi ipsis sit copiosa esca? labiorum crassitudinem, gulosos reddere asserit Aristoteles, vnde cibi auiditatem & ganeam ab hoc astro innatis fieri iudicamus, crurum brachiorúmq; breuitatem ab his fieri qui vtroq; membro priuantur, nemo mirabitur. Venerem verò in bello gyganteo in piscibus delituisse, non sine ratione fabulantur, cùm ei tam bene conueniant. sunt autem huius signi stellæ quatuor & triginta his connumeratis quæ in commissura, ponuntur: est autem commissura, ea qua ligantur inter se linea: Extra autem quatuor tantum enumerantur. Hęc igitur in medium adduximus, ne videantur nomina signorum temerè inuenta, cùm huiuscemodi imagines nullo modo appareant: nam Mathematici tanta solertia tantáq; animi perspicacitate fuerunt, vt minutissima quæq; perpenderint, nihil omittēdo quod cognitione dignum putaretur: nam cùm mille & duas & viginti stellas notarint, spem etiam inuestigandi nō ademerunt, vt nos quoq; intelligere possimus: & cùm octo & quadraginta imagines in cælo sint nominibus suis appellatę, etiam rationem nominum ostenderūt: de duodec

decim enim principalioribus iamdictum est,in relinquis ab effectu quoq; nominatis etiam formæ similitudinem aucupari conantur,vt in iaculo & corona,cùm effectus reperiantur in his nominum impostturis. quoniam potestatem in ea tenēt à quibus appellationem inuenerunt. Aries enim in oues, taurus in boues, leo in leones,scorpio in scorpiones, piscis in pisces,virgo in virgines & steriles, & sic de cæteris imperium habent. Sunt etiam quædam stellę etiam nominibus proprijs insignitæ, vt in pectore leonis tuberon, spica in virgine,helice maior vrsa,minor verò cynosura dicuntur, cuius cursum Phœnices primi inuenerunt, ad quā nauigationes dirigunt, de quibus Lucanus,

Has ad bella rates non flexo limite Ponti,
Certior haud vllis duxit cynosura carinis.

Quòd autem nō propter stellarum situm nomen sit inditum, non leue argumentum est,quod Mathematici canem in cælo vocant duabus tantum stellis constantem,duæ autem stellę nullam imaginem præfigurant. Sed maximè aduertendum est in imaginibus quæ suut in circulo signorum hoc est in zodiaco cùm singula signa triginta partibus æqualibus constent,

ſtent, attamen nec latitudine nec longitudine: quod admirabile putatur æqualia ſunt: figuræ in zodiaco plus circuli alijs in longitudine occupantes, etiam latitudinem excedunt: vt vnuſquiſq; ſphæram barbaricam intuẽdo facilè diiudicat: hæc autẽ octauæ ſphære varietas, vt quædam pictura nihil profecto vel parum admodum operatur, ſatis eſt ſi noni cæli aut decimi vt quidam volunt, duodecima pars triginta gradus æquales habeat: nam ad eius motum omnia ſupputantur, imò ęquinoctialis noni cæli circulus teſtimonio Mathematicorum eſt: in nono autem cælo quidam autores non eſſe integras imagines & ſigna, ſed tantum characteres referunt. Character autem perfecta imago magiæ inſtrumentum eſt, ſed qua coniectura id dicãt dubium eſt: alij apud Indos & Perſas vbi clarius omnia apparent, viſa quædam fuiſſe narrant, alij verò ſpirituum reuelatione notum, hoc eſſe arbitrantur: vtcumq; ſeſe res habeat certiſsimum eſt, ad nonum cælum vel vt quidam nõ ſine ratione putant decimum omnem ſupputationem referri. Nam in matheſi nihil probatur, niſi ratione aut experimento perſpectum, primum enim

certitudinis ordinem matheseos discipli-
na possedit,& cùm tot tantaq; admiratio-
ne dignissima astrologi inuenerint, non
mirabimur à poëtis eorum ingenia ad-
mirantibus Atlantem illum astrologum
qui eo tempore florebat,quo Moses dici-
tur natus,fratrem Promethei physici, de
quo Ouidius,

Quã satus Iapeto mixtam fluuialibus vndis
Finxit in effigiem moderantum cuncta deorũ.

Hic primus ratione probauit, hominem
corpore animâq; constare, quæ immor-
talis diuinâq; esset, illum inquam Atlan-
tem in montem fuisse conuersum, quod
& poëta Virgilius non negligens carmi-
ne declarauit,

Axem humero torquet stellis ardẽtibus aptũ,

vt & mentem & astrologum poëtica iu-
cunditate cantaret. Nam in 1. dixerat:

—Cithara crinitus Iopas
Personat aurata docuit quæ maximus Atlas.

Cùm igitur Mathematici, tam excellenti
ingenio fuerint, non immerito Ouidius
in eorum laudes hoc carmen cecinit:

Felices animæ quibus hoc cognoscere primũ,
Inq; domos superas scandere cura fuit,
Credibile est illos pariter vitijs iocisq;
Altius humanis exeruisse caput,

Non

Non Venus & vinũ sublimia pectora fregit,
Officiumq́; fori multiæq; labor,
Non leuis ambitio perfusaq́; gloria fuco,
Magnarumq́; fames solicitauit opum.
Subiecêre oculis distantia sidera nostris,
Aetheraq́; ingenio supposuere suo:
Sic petitur cælum nõ vt ferat ossam Olympus
Summaq́; Peliacus sidera tangat apex.

De cane, canicula, orione, vesperugine, pleiadibus, id est vergilijs, Hyadibus, boote, ædis, ædo, & stella quid sit, & de Venere quædam egregia & ludo chartarum.

CAP. XXXVI.

Cum multa magnifice Laurenti de astris mixtim & confusè narrauerim, decreui more poëtarum quæ excellentia sunt, seorsum ab alijs tractare, sic enim Virgilius plerisq; in locis factitauit, vt

Troas relliquias Danaũ atq; immitis Achilli.

& iterum,

Forsitan et Priami fuerint quæ fata requires:

sic etiam nos seorsum ab alijs ponemus canem, caniculam, orionem, vesperuginem, hyadas, pleiadas bootẽ, ædos, ædum, quæ apud poëtas in frequentissimo vsu sunt, & in libro Iob pleraq; referuntur obscu

obſcuritatem parientia, in ſcientia ſiderali minimè exercitatis. His enim ſtellis maxima vis tribuitur, vnde Perſius,

-inſana canicula meſſes
Iam dudum coquit, & Plinius ſecundo Naturalis hiſtoriæ ait, Caniculæ exortu accendi Solis vapores, quis ignorat? eius ſideris effectus ampliſsimi habentur, feruent maria exoriente eo, fluctuant in cellis vina, ſtagna mouentur. Virgilius verò Aenei.

-Syrius ardor,
Ille ſitim morboſq; gerens mortalibus ægris
Naſcitur & læuo contriſtat lumine cælum.

De hoc igitur ſidere primus erit ſermo. In cælo ſunt canis & canicula eiuſdem ferè effectus: dicti autem ſic ſunt propter caloris furorem & rabiem quæ canes maximè infeſtat etiam morſu periculoſo, vt ſuprà tetigimus & inferius etiam apparebit. Canicula verò genere fœminino & diminutiuo nomine celebratur maxima ratione: fœminæ enim in ſpecie canina ſunt maſculis longè rabidiores, tum de natura ſui, tum etiam propter ſobolem, cùm catulos educant: & ideo Boetius in libro de Conſolatione Paulinum conſularem virum cuius opes palatinæ, canes

iam ſpe atque ambitione deuoraſſent, ab ipſis hiantũ faucibus retraxi, inquit. Sed nomen meruit diminutiuum, quia non ita lucet vt canis, Nam canis vna de quindecim primæ magnitudinis ſtella omnibus quæ in cælo noſtro ſunt lucidior apparet. Eſt autem canis noſtro tempore in quinta parte cancri, meridionaliſq; ad pedem Orionis eſſe dicitur, vt declarat Boetius in libro Diuiſionum, cùm ait, eſt canis cæleſte ſidus quod ad Orionis pedem morbidum nutat, nonnulli medicorum Cynoſuram vocitant: oriturque cum quinta parte cancri: & hoc eſt quod ait Seruius ſuper eo verſu,

—& aduerſo cedens canis occidit aſtro.

id eſt ſidus canis eſt paranatelion cancri, iuxta illud oriens, exponénſq; auerſi aſtri occaſum, nauem intermiſcuit, ea enim auerſa hoc eſt à puppi oritur, & non à prora hoc autem ſidus poſt caudam magni canis locatur, ac ſi diceret, occidit canis cum auerſo aſtro, id eſt cùm maius oritur. ita enim ſenſus videtur, niſi auerſum aſtrum ad canem referas, ac ſi diceres cadit canis cum ſuo aſtro auerſo, hoc eſt malitia ſua quæ auerſa & irata nobis eſt. Sed & alia conſtellatio eſt tribus nomini

minibus appellata Græcè procyon Latinè antecanis & canicula, & hæc cum vigesima septima parte cancri oritur, & dicitur septentrionalis vt inferius ostendetur. Sidera enim septentrionalia nobis priora excellentioráq; sunt meridionalibus, vnde Virgilius,

Hic vertex nobis semper sublimis, at illum
Sub pedibus nox atra videt manesq; ꝓfundi.

de procyone ergo siue antecane siue canicula Manilius quinto Astronomicôn.

At procyon oritur cùm iam vigesima cancro,
Septimaq; ex vndis sese emergit in astra,

hoc modo esset nisi varietatem fecisset motus octauæ sphæræ. Cicero facta com positione

Antecanis Graio procyon quod nomine fertur,

in suis versibus dixit, & Hippocratis interpres in quarto Aphorismorum ait sub cane & antecane molestæ sunt purgationes, quod quidem medici male intelligentes dicunt sub cane & ante canem id est in cancro & capricorno, quod dignum risu est, putant enim ante & ex opposito eadem significatione notari, & vt ad rem redeamus, Iulius Firmicus nomina confundens, de cane & Argonaui simul loqui videtur hoc modo: In pri-

ma parte leonis oritur canicula quæ à Græcis cyrion dicitur, qui tunc nati fuerint effrenatos animos ad omne ſtudium præpoſteri facinoris applicabunt, erunt etiam ab omni humanitatis gratia ſeparati, & qui libenter omnia violenta ſtudia ſectentur, furioſi, iracundi, terribiles, minaces, hoc ſermone Firmici caniculam pro cane accipi monſtratur. Higinus quoq; ex his duabus vnam imaginem faciens in lingua alteram, alteram verò in capite locans, ſyron vnam ob nimium ſplēdorem abſidis appellatum ait, vt eam præ cæteris noſceret. Sed iuniores luminoſiorem in ore canis eſſe aſſerunt, & Plinius XVIII. ſic inquit. Aegypto verò procyon, quod ſidus apud Romanos non habet nomen, niſi caniculam hanc velimus intelligi, hoc eſt minorem canem, ſanè vt in aſtris pingitur: eſt autem magnopere pertinens, ſicut paulò mox docebimus, hactenus Plinius: qui paulò pòſt ait, canis ortum vocamus Sole primam partem leonis ingreſſo, poſt ſolſtitium XXIII. dies, ſentiunt id maria & terræ, multæ verò & feræ vt ſuis locis diximus, nec eſt ei minor veneratio quàm deſcriptis in deos ſtellis, accenditq; Solem

lem & magnam æſtus obtinet cauſam, diſtinguit igitur Plinius nomina, confundens poteſtatem canem & caniculam eodem pertinere arbitratur, quia in eodem libro dicit, obſeruatione aquilæ in ſeptentrionali parte & in auſtrina caniculæ. Nos verò canem in auſtrina, caniculam verò in ſeptentrionali parte locauimus: ſed vt vidimus, Plinius, Higinus, Manilius, ſidus hoc confundentes ad vnum tantum cœli partem pertinere arbitrantur, ſed iuniores & perſpicaciores quidem alterum ad ſeptentrionem, alterum verò ſidus ad auſtrum pertinere iudicarunt: nam Petrus Aponanus octauæ ſphæræ motum percallens, de ea nanq; librum ſolertiſsimè edidit, diuerſos numeros cani & caniculæ aſsignauit ab antiquitate maximè remotos. Sed ſunt quidam antecanem dictum putantes quoniam plures partes cancri pertranſiuit à leone incipiendo, quia cancer retrocedit, quod non probatur: eorum autem vera putatur opinio antecanem ideo dictum eſſe, quia maiorem canem antecedit: eſt enim poſitus ante illum canem qui leonem præcedit per viam nauis & leporis in cœlo, vnde prior oritur ante-

canis quàm maior canis, & ab antecane id est canicula dies dicuntur caniculares: est autem signum in lacteo circulo ad occasum descendens sub genibus orionis, & hinc fabulantur fuisse canem orionis. Sed vt ad dictum Plinij Virgilijq; reuertamur, poëta eadem ferè quæ Plinius dicit, sitim enim morbósq; illo sidere fieri autumans & aquas moueri, & vina in cellis fluctuare monstrauit: fluctuatio nanq; vina aut acida aut mucida aut vapida efficit, aut alio quouis incommodo vitiat, & motus turbidam lutulentámq; aquam reddit, cùm maria autem feruent & calorem & aëris tristitiam intelligimus, ex quibus morbi nascuntur. Et sicut canis cum Sole feruorem acutissimum, ita cùm de diametro eundem aspicit, frigus intensum generat. Coniunctio nanq; & oppositio maximè aduersantur, illa amoris & beneuolentiæ, hæc discordiæ inimicitiarúmq; est. vnde non mirum est contrarios ex his effectus oriri: nam caniculæ exortu vespertino qui tunc fit, cùm Sol capricornum possidens ad occasum tendit, acutissima frigora sunt, bene igitur de canicula Manilius,

Cùm verò in vastos surgit Nemeæus *hiatus.*

Exorit

Exoriturq; canis latratq; canicula flammas,
Et rapit igne suo geminatq; incendia tedis.

canem & caniculam simul nominãs, tanquam vnius sideris stellas inter se quibusdam partibus ex latitudine distantes more nostro, cùm altera ad arcticum altera verò antarcticum polum attineat. Nec te admiratio teneat, quoniam Sol per centrum coniunctus non vrit, sed fortunatus existit, vt nosti, dies verò qui à canicula caniculares nominantur sunt numero qnadraginta maximè aduertendi, incipientes circa vndecimum mensis Iulij vicesimo die Augusti terminantur, à quibus Græcè fructus horarij, qui hyemi reponi non possunt, à nonnullis medicis nuncupantur: horam enim Græcitas quamlibet anni partem, vt hyemen, ver, æstatem, autumnum nuncupans effecit, vt nos per excellentiam canicularios, id est horarios fructus corruptioni obnoxios, cùm hyemi reseruari nequeãt, de surculorum fructibus intelligẽdo appellemus: succi enim & humorum temperies, vnde iucunditas saporis exoritur, huius sideris vehementia conquassati vitiantur, & contabescunt adeò vt penitus inutiles reddantur, & hinc illud quod

ſæpe in ore verſatur, diui Hippocratis oraculum emanauit, vt cane & antecane moleſtæ ſint purgationes, ita inſinuans, quoniam ſub vicinitatem exortus fugiendam præceperit, hactenus de canicula, nunc ad alia me vertam. Orionis fabulam narrat Higinus. Plinius verò ſeptimo Naturalis hiſtoriæ ſic de eo, In Creta terræ motu rupto monte inuentum eſt corpus ſtans quadraginta ſex cubitorum, quod alij Orionis, alij Etionis fuiſſe tradunt. Hæc autem quæ Plinius narrat nemo putet eſſe falſa, nam gygantes fuiſſe ſacra narrat hiſtoria, & Romæ tempore Henrici tertij inuentum eſt cadauer Palantis, quem Turnus occidit, tantæ magnitudinis. vt longitudine ſui Romanos muros æquaret. Accedit ad hoc quod cùm de ſtirpe Neptuni dicatur, nepos enim fuit propter Ireum patrem, non immerito gygas fuiſſe narratur: monſtroſa enim Neptuno tribuit antiquitas, & ſacra ſcriptura hoc etiam innuere videtur, cùm in libro Iob dicatur Ecce gygantes, genuit ſub aquis. hinc igitur Orion tam vaſti corporis in aſtris more poëtico locatus maximum ſignum effecit, nam ab ariete in cancrum vſque exten

extenditur, & cum cancro totus exoritur, vt narrat Higinus, & propter sui magnitudinem nonnulli numero pluratiuo, sidus hoc orionas vocauêre, vt in libro Iob qui facit Arcturum, & Orionas & hyadas & interiora austri. de Orione non conuenit inter veteres, octauæ sphæræ motum olfacientes tantum & non intelligentes, cùm Hipparchus cardines cœli loco suo aliquando cessuros cecinerit, & iuniores quos hac in re peritiores esse constat: Firmicus enim ita in arietis sinistro latere oritur Orion, in partes scilicet octo & viginti, at Petrus Aponamus ait, Orion vna de meridionalibus imaginibus est circa medium geminorum. Si ita est eius ortus vespertinus Sole occupante medium sagittarij circa vigesimum nonum mensis Nouembris, hoc est cùm hyems incipit, & tunc quoque hoc signum sicuti in ortu matutino aquas mouet & tempestates facit, hinc est quod quodam figmento abstruso ab vrina deorum conceptus creditur, ita vt ex humore natus humores faciat, & in prognosticis claritas obscuritas've eius claram turbidámque tempestatem inducit, & maximè id indicant

ſtellæ, in eo quæ iugulæ ſunt, quoniam ab vtroque numero fulgentes iugulum Orionis efficere videntur: nam in hoc homine iugulum vocamus, vbi oſſa ab humeris venientia in gutture, tanquam iugum in bobus conuenire videntur, vnde & iugulare tractum, quod etiam ad morboſam mortem applicatur, dicente Cornelio Celſo: quartana neminem iugulat. Hæc autem imago propter ſui, vt diximus magnitudinem pluribus locis eſſe dicitur: eſt enim ſidus maximæ motionis ſiue in terris, ſiue in mari, ſiue in pectoribus hominum, ita vt cùm totus vno momento exoritur: exoritur autem hoc modo cum cancro, & quia propter ſui magnitudinem tardare ortum deberet, & non facit, ideo ſubitò oriri dicitur. Quæ autem ſubita ſunt, ſolertiam ſapientiámque hominum, remota cogitationis commoditate penitus fugiunt. vnde Ilioneus apud Didonem, ne imperitus nauta putaretur, improuiſam illam tempeſtatem in ſubitum & incognitum Orionis ortum reiecit, ait enim

Cùm ſubito aſſurgens fluctu nimboſus Orion
In vada cæca tulit.

quod fuit argumentum validum apud

regin

reginam astrologiæ peritam, vt eius oblectamenta demonstrant, vt

—cythara crinitus Ioppas
Personat aurata docuit quæ maximus Atlas,

& alia plurima, Oritur autem mane totus circa festum Ioannis Baptistæ, semper enim illis diebus aut pluuiæ, aut venti, aut typhones, aut alia huiusmodi incommoda accidunt, nisi aliquando planetarum benignitas hoc felice radiatione mitiget. sed vnum obliuioni nequaquam tradas, tempestates etiam à summis mathematicis ad certum diem prænuntiatas, plerunque triduo aut tardasse aut anticipasse, quod nos sæpe experti sumus, & maiores nostri non tacuerunt. vnde Plinius decimo octauo, ita fit vt tradi non posint certa siderum tempora, accedit confessa rerum obscuritas, nunc præcurrente nec paucis diebus tempestatum significatione, quod prochemasim Græci vocant: nunc pôst veniente, quod epichemasim, & plerunque alias citius alias tardius cœli effectu ad terram deciduo. Sed omnia quæ Plinius ex autoritate maiorum narrat eueniunt, quoniam stellarum fixarum non habetur plena cognitio, vnde oculis videmus

grandinem etiam præuiſam vicina contiguáque loca non æquè infeſtare. Sed cùm Orionis tantam ſublimitatem cernimus, in cœlo enim locatus eſt, non videtur ab eius apoteleſmate diſſentaneum: nam in occaſu geniture inuentus inter alia efficit, vt homini ſic nato, honores, tituli, imaginéſque & alia huiuſmodi inſignia poſt mortem tribuantur. Veſperugo non ſtella fixa ſed planeta eſt, de qua Vitruuius Architectus libro quarto ait, veſperugo ea cum Solem ſequitur, poſt occaſum eius apparens in cœlo veſperugo vocatur, alijs autem temporibus eum antecurrens & oriens ante lucem, lucifer appellatur, hactenus Vitruuius Nec te Plauti dictum turbet, cùm apud eum Soſias dicat, nec iugulæ, nec veſperugo nec vergiliæ occidunt, nominans eas inter ſtellas fixas, quoniam ibidem ait, nec Luna ſe quoquam mouet, quam conſtat eſſe de numero planetarum. veſperugo igitur Venus de qua Virgilius libro octauo:

Qualis vbi Oceani perfuſus lucifer vnda,
Quē Venus ante alios aſtrorū diligit ignes,
Extulit os ſacrum cœlo tenebraſq; reſoluit,

ſed aliquando à poëtis vno eodémq; die

Vener

Venerem posse & præcedere Solem in ortu, & eundem in occasu sequi affirmatur, quod non omnino veritate caret: fieri enim aliquando potest, vt spatio quatuor & viginti horarum Venus propter epiciclum serò sequatur & manè præcedat Solem, & videatur propter maximam latitudinem: sed vt plurimum sunt duo, Venus & Mercurius, qui ex quadam similitudine vnus à plebeijs creduntur, sed de hac re non patitur opus, vt latè in præsentiarum loquamur. Pleiades stellæ in dorso tauri quarum singulare est pleias. Ouidius,

Quatuor autumnos pleias orta facit.

Latinè dicuntur Vergiliæ, numero pluratiuo, eo quod ver agunt, tunc enim ver fixum est cùm Sol eas occupat. Sunt autem vergiliæ seu pleiades stellæ, numero septem, minutæ, inter apparentes in cœlo nostro coniunctißimæ, ita vt quocunque oculos vertas, nusquam tam densum stellarum agmen appareat, suntque circa XIIII. tauri partem in eius dorso. Sed aduertendum reor annum multifariam secari, Prima enim eius partitio est in æstatem & hyemem, æstas fructuosa, & hyemis pars sterilis

nunc

nuncupatur: In illa nanque meſsis vindemiáque non ſine pomis habentur, in hac verò fructus ceſſant: & his rationibus à vergilijs annum perfici creditur, quarum exortus eſt, qui eſt Sole taurum tenente, & occaſus qui fit Sole ſcorpionem poſsidente, adeo vt inter hæc duo tempora fructuoſa includantur, ideo Plinius decimonono. Naturalis hiſtoriæ ait, nanq; vergiliæ priuatim attinent ad fructus, vt quarum exortu æſtas incipiat, occaſu hyems ſemeſtri ſpatio intra ſe, meſſes, vindemias & omnium maturitatem complexæ. Alia autem anni diuiſio iam dicta à medicis ſignis quibuſdam monſtratur, vt ver ſit principium florum & frondium, & quod verè in montibus niues ſoluuntur, nec multis indumentis egemus propter frigoris temperamentum, nec paucis propter ventos, vt ait Auicenna Secunda Primi, & poëtæ aſtipulantur, vnde Virgilius:

Vere nouo gelidus canis cùm mōtibus humor
Liquitur & Zephyro putris ſe gleba reſoluit.

& Ouidius.

Verq; nouum ſtabat cinctum florente corona.

Sed veri autumnus aduerſatur, nam folia & frondes colorem mutantes ad terram

ram defluunt, æſtatem nimius æſtus hyemen frigora nimia declarant. Tertio quoque modo annum diuidunt, ita vt à principio arietis vſque in finem geminorum ver, quod incipit circa medium Martij circáque medium Iunij menſis terminatur, quod ſpatium trimeſtre eſt, poſtea Sol cancrum ingrediens, ad finem vſque virginis æſtatem peragit, quod etiam tempus eſt trium menſium, hoc eſt à medio circiter Iunij vſque in medium Septembris. Autumnus tunc initium capit, cùm libram Sol obtinet, & hoc circa decimumquintum Septembris menſis terminatur in fine ſagittarij, quod habet finem circa medium Decembris, & ab eo in capricornum Sol defluens vſque in finem piſcium hyemen terminat, hoc autem eſt à medio Decembris in medium Martij menſis, vt non nimis exactè loquamur. Sed cùm duas tantum partes, hoc eſt æſtatem hyeméмque annus continet, æſtas incipit XXVI. Aprilis circa feſtum Marci Euangeliſtæ, deſinit autem XXVIII. Octobris Circa feſtum Simonis Iudæ, reliquum autem tempus hyemi aſcribitur. Eſt etiam alia anni diuiſio, ad medicas artes

artes maximè pertinens propter alterationem corporum, quam Galenus, diuúsque Hippocrates obseruarunt, aiunt enim æstatis primordium esse exortum pleiadum, hic autem fit in Maio mense, sed medici in principio fieri narrant cum Plinius aliter loquatur x i x. Naturalis historiæ sic ferè, in sexto Idus Maij qui est vergiliarum exortus, hoc autem in loco intelligitur exortus, cùm videntur & apparent ante Solis ortum, cùm prius maiori lumine obfuscatæ nequaquam videri poterant, mediam autem id est adultam æstatem dictitant, cùm canis de quo suprà locuti sumus manè ex parte orientis paulò ante Solis ortum apparet, quando Sol ab ea stella distat, contigit autem hoc vigesima die Iulij mensis, & ex hoc illud Virgilianum,

& aduerso cedens canis occidit astro.

facilè intelligitur, occidit enim, ibi non apparet indicat, astro id est Sole aduerso, & eius lumen obfuscante, vel cùm suo astro aduerso & terris inimico, vt etiam suprà tetigimus, durat autem æstas vsq; ad arcturi exortum, Arcturus autem cùm oritur autumni principium facit, oritur autem cùm manè ante Solis ortum

tum conſpicitur, durátq; quoad pleiades veſperi apparent. hinc illud Ouidij.

quatuor autumnos pleias orta facit:

tunc enim oritur, cùm ſerò ex parte orientis emergit, Sole in ſcorpione ad occaſum tendente, quod accidit circa Nouembris principium. Sed arcturus duplex eſt, nam à Græcis arcturus vocatur Bootes vt ait Euſebius de Euangelica præparatione, & Higinus de boote, in zona vnam clarius cæteris lucentem, hæc ſtella arcturus appellatur, eſt & alia arcturus cuſtodis gemini arcti qui arcturus dicitur teſte Vitruuio. Arcturus igitur eſt in quinta decima parte libræ, quæ maximam habet latitudinem, nam XXXI. partium eſt, & ſonat hoc nomen caudam vrſæ: eſt enim maioris vrſæ cauda per excellentiam: eſt enim ſita in extremitate ipſius, vel in extremo temonis plauſtri, ſic enim aliquando vocatur ſeptentrio. Boëtius:

cur legat tardus plauſtra bootes.

Sed hæc ſtella tribus imaginibus deſeruit, vrſæ nanque cauda & temonis pars, & vna ex illis eſt quæ in cingulo Bootis eſſe dicuntur, hæc igitur apparens ab oriente, cùm Sol libræ XV. partem poſ-

ſeder

ſederit autumno præſtat initium : vrſa autem minor pluribus nominibus nuncupatur : nam dicitur arctos & arctophylax & aliquando arcturus, ſæpe plauſtrum, nonnunquam polus ſeptentrionalis, & helice. Sed ſtella quæ polus dicitur eſt in femore ipſius minoris vrſæ. Eſt autem polus ſiue vertex arcticus qui in noſtro ſitu ſemper apparet, aliquando phœnix, quia à Phœnicibus inuentus eſt, nominatur. Phœnices enim nauigandi autores dicuntur, vt tactum eſt, & à plebeijs & rudibus, quia trans omnes montes apparet, propter ſui altitudinem trans montana vocatur, quanquam re vera non illa ſtella ſed circa illam polus ſit, ſtella enim illa aliquãtiſper rotatur cum polus immobilis & fixus omnino eſſe noſcatur. Reliquum temporis hyemi etiam aſsignatur, & ſic varijs modis annum partiti ſumus : de his hactenus. Nunc ad rem propoſitam reuertamur : Hyades ſtellæ ſunt in fronte tauri quarum ortus veſpertinus in autumno clarus eſt, videntur enim ſero ſcorpionem tenente Sole & ad occaſum verſo, hæc autem cùm ſint numero quinque, in prognoſticis nonnihil operantur, temporibus autumni,

tumni, nam cùm minus lucent, pluuias: claræ ſerenitatem prænuntiant: de quibus Plinius XIIII. Naturalis hiſtoriæ, claritatem obſeruationi dedit noſtrorum argumento hyadas appellantibus Græcis has ſtellas, quod noſtri à ſimilitudine cognominis Græci propter ſues impoſitum arbitrantes appellauere ſucculas. Sed in hoc ſermone Pliniano non debet nos ſomnus inuadere: nam cùm hyades Grecè dicantur quaſi pluuię, hyo enim apud Græcos pluo eſt, & hyodes dicitur porcinus, ita vt noſtri ſecũdum Plinium putarint ex imperitia hyades ſucculas dici (ſuccula enim à ſue diminutiuum eſt) hic ſermo profectò riſum mihi mouit, cùm Plinius ſe mentem maiorum, qui hoc nomen impoſuere tenuiſſe arbitretur, ſucculam ſtellam à ſue dictam temerè reputans, cùm ſi bene aduertiſſet, ſucculas illas à ſucco & humido non à ſue dictas coniectare debuiſſet, ne Latinos imperitiæ, vt parricida arguiſſet, aut Grecos à ſue nomen impoſuiſſe propter effectum narraſſet: bubulcum enim hoc ſidus facit vt infrà apparebit, ſed cùm hæc ab hominibus in capite tauri eſſe dicantur: Acron tamen Horatij expoſitor ait,

ſucculæ à nobis, primo hyades, de inde ſucculæ appellatæ, iſtæ autem non ſunt in capite tauri, vt Tyro ait, nullum enim videtur præter eas ſtellas tauri caput. Sed hæ ita in circulo qui zodiacus dicitur ſitæ locatæq; ſunt, vt ex earum poſitu ſpecties quædam & ſimulacrum eſſe videatur taurini capitis. ſicut cæteræ partes & reliqua imago tauri conformis, quaſi & depicta eſt locis, regionibúſque per eas ſtellas quas Græci pleiadas nos Vergilias vocamus, hactenus Acron. ſed hic ſermo non magni momenti eſt, nam ſiue ſint in capite, ſiue caput cõſtituant, nihil ad rem attinet, effectum enim earum quærentes reliqua parui facimus, vnicuiq; enim vt lubet fingere licet, ſic enim in Arato legitur,

Et caput & patulas nares & cornua tauri
Fronte micant hyades,

Nam vt ſuprà diximus, arcturus ſtella peculio trium imaginum aſsignatur, Oriuntur autem ſecundum Firmicum in XXVII. parte arietis, vnde XXVII. libræ partem Sole occupante, id eſt duodecimo menſis Octobris: ſero ex parte orientis optimè apparent, & hinc claram turbidámque tempeſtatem auguramur,

vnde

vnde Manilius quinto,

Sed cùm bis denas augebit ſeptima partes
Lanigeri ſurgent, hyades quo tempore natis,
Nulla quies placet in nullo ſunt otia fructu,
Sed populũ turbamq; petũt rerumq; tumultus
Seditio clamorq; iuuant, Græcosq; tenentes
Roſtra volãt, mõtesq; ſacros rarosq; quirites
Pacis, bella probãt, curæq; alimenta miniſtrãt,
Immundosq; greges agitant per ſordida rura.

Hyades ergo ſtellæ, & aërem & mentes hominum agitant, & hinc turbidi motus origo emanat, ſubulciq; naſcuntur, qui gregum ſordidorum duces ſunt, ſicuti in ſeditionibus ductores requiruntur, vt olim in monte ſacro à Romanis actitatum eſt. Ab iſto ergo ſidere turbatio qualiſcunq; ſit efficitur, Sed Firmico Manilióq; hanc ad arietem pertinere conſtellationẽ arbitrantibus, non omnino Acronem improbabimus, qui ab alijs auſus diſſentire hyades loco non conſueto locauit: & cùm ſtellarum nobis cognitarum numerus mille x x I I. implerit, vt diximus, earum trecentæ ſexaginta ſeptentrionis imaginibus aſsignantur, Trecentæ verò & quadraginta ſex duodecim zodiaci ſigna explent, Sed reliquæ numero trecentæ viginti ſex auſtrinas ima-

gines effecerunt. Imagines ſeptentrionis dextræ, auſtrinæ verò ſiniſtræ dicuntur. Ouidius,

Nec te dexterior tortũ rota ducat ad anguẽ,
Neq; ſiniſterior preſſam rota ducat ad aram.

& cùm de cęlo dextrum ſiniſtrúmve dicimus, ita loquimur, ac ſi humeros noſtros ad orientem Solem verteremus, & quæ nobis à parte ſunt dextra, illa quoq; in cælo dextra putantur, & è contrario in ſiniſtra. in augurijs verò alia ratio eſt, nos enim ſi in cælo hominem facie inſpexerimus, dextra noſtra ex oppoſito ſiniſtræ, & ſiniſtra ex oppoſito dextræ erunt: ita enim fit cùm duo ſibi inuicem obuiant, vnde optimum id augurium putatur, cùm à parte cæli ſiniſtra ſe exhibet, quoniã nobis dextra eſt, & ideo illud:

Intonuit læuum,

læua enim & ſiniſtra idem, ſicuti dextra & ſtrena eiuſdem ſignificationis eſſe noſcuntur, vnde & ſtrenuus, & ſtrena donum, quod dextra porrigitur dictum eſt. Hyades igitur nullam imaginem per ſe niſi ſues dixeris conſtituentes abſque nomine animalis enuntiantur: pleiades verò vergiliæ & atlantides dictæ, nomen à vulgaribus gallinæ crocitantis

pull

pullósq; aggregantis inuenerunt, & cùm hæ septem sint, vna non bene apparet: hinc igitur Aratus poëta eam latitare finxit, propter metum gladij Orionis: & propter numerum apparentem, & propter effectum plerunq; poëtæ pleiadas hyadásq; confundentes, alterum adiectiuum: alterum verò substantiuum ponunt: vnde Virgilius,

-Pleiadasq; hyadas,

quasi pleiadum adiectiuum hyadas vt pluuiales indicet cùm hæ quinque, illæ verò septem sint: Bootes de quo suprà narrauimus etiam in dubium reuocatur propter illud,

Haud obscura cadens dabit tibi signa Bootes,

cùm in situ nostro numquam occidat, videtur enim nisi bene intellexeris veritati aduersari, atq; vtinam Metrodori Mathe matici, cuius meminit Seruius liber ad manus nostras peruenisset: quinq; enim voluminibus vix gemotrica astrologicáque Virgilij expræssit, eius dicta defendens, vt labor noster cessaret. Cadit autem Bootes cùm ad occasum tendit, sed surgit circa x v. partem arietis: nam cùm sit in x v. libræ occidentis mane cùm Sol in ariete oritur, & ne eius occultatio-

nem taceret, cadentem dixit Bootẽ, quasi non amplius apparentem, vt qui in alto erat, sed occasus hic Bootis solis ad obtenebrationem referri potest, quia paulatim aurora veniente claritas eius euanescit. fatum signi in quo esse dicitur sequens, nam quod arieti opponitur tunc ad occasum vadit, & cùm dicimus quod quintus decimus libræ demergitur, necesse est Bootes à sublimi ad imum reuoluto plaustro pedibus veniat. rectè igitur medium se præbuit poëta cùm ait,

Haud obscura cadens præbet tibi signa Bootes,

Nam aliæ stellę, non ita in proparulo sunt vt hæc: nunquam enim occidens tota nocte apparens te fallere potest, cuius casus atq; descensus nó erit obscurus, cùm per totam noctem valeas intueri an cadat, & hoc modo ad cosmicum occasum referri poterit. Tunc ergo legumina, vt faseolos, viciã, lentésq; verno tempore seres. Aedi stellæ etiam celebres in manibus aurigæ sunt: auriga autem imago super cornua tauri signi est, & septentrionem sequuntur, & oriuntur, vt ait Firmicus in x x. parte arietis. Sed de ædis ita loquitur Seruius super eo versu.

Quantus ab occasu veniens pluuialibus ædis,

est

eſt ſignum cui auriga nomen, hoc cum tauro vna clara ſtella coniungit, retinet autem auriga ſtellas duas manu, quæ ædi vocantur, quarum ortus & occaſus tempeſtates grauiſsimas facit, oriuntur autem cum ſcorpione, menſe Octobri, ſed Manilius ait:

Cùmq; decem partes aries duplicauerit ortus
Incipient ædi tremulum producere mentum.
Hirtaq; tum demum terris immittere terga,
Qua dexter Boreas ſpirat ne crede ſeueræ
Mentis opus. Firmicus igitur & Manilius in arietis parte viceſima ædos eſſe narrant, quanquam in Firmico ſi x x x. & in Manilio triplicauerit ponerentur nobiſcum ſentiretur. Sed cùm Seruius eorum ortum ſcorpioni tribuat, in tauro ſint neceſſe eſt: Nam ſol in ſcorpione cũ occidit, Taurus vbi ædi ſunt veſperi, id eſt chronicè oritur. Cùm ædi ad occaſum veſpertinum tendunt, tunc ſcorpius matutinè oritur, & huiuſmodi ædorum occaſum tempeſtatis eſſe cauſam poëtæ narrant, vnde Ouidius de Arte amandi:

Differ opus tũc triſtis hyẽs tũc pleiades inſtãt,
Tunc & in æquorea mergitur ædus aqua.

Sed ſi Firmicum Maniliúmque ſequeremur, opus eſſet dicere quod penultimo

 die

die mensis Septembris oritentur: sunt enim secundum hos in ariete, cui libra opponitur, tendēte ergo Sole in libra ad occasum, tunc vesperi orirentur ædi: & eo quo diximus modo eueniret. Nunc autē propter motum octauæ sphæræ alio ordine considerantur, temporibus enim antiquis hic octaui globi motus fuit incognitus. Præterea ne obliuioni mandes omnia sidera non omnibus locis eodem tempore oriri & occidere, sicuti facilè ex Plinio poteris coniectare. Sed in cælo est prȩter hos quos narrauimus alius hœdus illis ferè oppositus: nam x v. parte libræ esse narratur, qui quandam similitudinem cum ædis aurigæ in hominum genituris habere videtur, nam si hœdi aurigæ in septimo loco ab horoscopo fuerint, & eos Saturnus quadrata vel diametra radiatione conspexerit, natus in primo vitæ liminæ morietur, aut in ipso partu deficientibus matris viribus strangulatur, aut tumore faucium, aut angina suffocatur. Sed si Mars in septimo, hoc est in occasu, cùm ea stella fuerit, ita vt nullo beniuolarum stellarum beneficio iuuetur, natum facit igne comburi, sed sine his libidinosos voluptatibus implicitos
redd

reddit hæc constellatio, & hoc etiam modo hædus in libra maliuolę stellæ minaci radiatione pulsatus, aut natos ex alto pręcipitat, aut saltantes affligit, ita vt mẽbris fractis luxatisue incommodet, & cum sine testimonio malorum fuerit, natum voluptatibus & præpostero amore cõmaculat. Sed ille hœdus quem auriga sustinet in omnibus maioris efficacię est, licet vterq; biothanatos voluptatibúsq; implicitos reddit, & in prognosticis eundem sequuntur ordinem, & in aspectibus cùm cæteris, aut in loco figuræ annuæ, quoquomodo pluuias tempestatésq; efficiant: nam hinc apotelesmata pendent, multa in medium adducenda essent, vt consumatæ disciplinæ hominem redderemus, nam prognostica leuia quædam & momentanea putantur, & sæpe vt diximus fallacia: nam cùm ad aërem spectent qui maximè mobilis est facilè decipiunt, minimo enim impulsu: aër vnde nubes & hinc pluuię huc atque illuc pellitur, & puritas aut tenebrositas stellarum in prognosticis aduertuntur. Propertius,

Purus & Orion, purus & hœdus erit.

Sed hœdi hyades, & multa talia non

multiplicant imagines cæli, quæ ſunt XLVIII. tantum: huiuſmodi autem res ſunt quaſi appendices, & ornamenta imaginum cæleſtium, de his hactenus. Sæpe nos diuerſas ſtellas nominauimus, non tamen quid ſit ſtella declaratum eſt. ſtella autem eſt denſior pars ſui orbis, nam cùm omnia ſidera à Sole lumen accipiant, ibi eius radius reflectitur, vbi denſitas eſt: quoniam raritas vim radiorum non excipit: & propter hanc rationem circulus lacteus inter partes cæli clarior lucidiórque eſt, denſior enim eſt: perſpicua enim quæ ſunt ſi denſantur, non penetrante radio reflexionem maiorem efficiunt, vnde lux oritur: quod etiam in Luna contingit, nam vbi rarior, ibi minus lucida eſt, ideóque in ea maculæ quædam conſpiciuntur, ita vt quaſi nebulis offuſcata appareat. Sed omnium efficaciſsimæ ſunt ſtellæ zodiaci propter planetarum præſentiam: nunquam enim planetæ zodiacum exeunt: in eius enim latitudine verſantur, eclipticámque mediam relinquẽtes, nunc ad auſtrum nunc verò ad aquilonem declinantes, intra tamen ſigniferi latitudinem ſe cohibent, præter Venerem, quæ vngulam tauri

duab

duabus partibus excedentem, aliquando tenet, vnde illud Lucani:

Aethiopumq; solũ quod nõ premeretur ab illa,
Signiferi regione poli, nisi poplite lapso
Vltima curuati procederet vngula tauri,
Et de eisdem Virgilius,
-Iacet extra sidera tellus
Intra anni Solisq; *vias.*

Venus igitur extra zodiacum vagans multis prærogatiuis gaudet, nam ipsa sola exceptis luminaribus, radios iacit apparentes, & omnes planetæ necessariò quolibet anno patiantur retrogradationem, præter Venerem, de Sole non loquor quia ipse vt diximus non fit retrogradus: Venus autem aliquando per integrum annum, progredietur, sicut anno M. CCCCC.LXXXX. accidet. per totum illud anni spatium progredietur nunquam regrediens. Non mirum ergo ob huius planetæ excellentem prærogatiuam si in taxillis felicem iactum, non Iouem qui maior fortuna putatur, sed Venerem nuncupauit antiquitas. Vnde Propertius,

Me quoq; per talos venerem quærente secũdos
Semper damnosi subsiliere canes,

Canem verò & caniculam damnosum iact

iactum etiam ſiderum comparatione appellauerunt, ſic Perſius,

-Damnoſa canicula quantum

Raderet. canis verò & canicula qualia ſint ſidera ſuperius patuit. Sed forſitan quidam riderent huiuſcemodi ludorum inuentionem, doctis quoque viris tribui, niſi & ludum quem chartarum nominant vulgò & à ſapientibus fuiſſe excogitatum ratio dictaret, nam vt regum, reginarum, equitum peditúmque potentiam prætercam (quilibet enim dignitatis militiæque differentiam nouit) Nónne cùm enſium, haſtarum, ſcyphorum, paniúmque agreſtium vim conſideramus, perſpicaciſsimi ingenij inuentorem eſſe cognoſcimus? cum viribus vbi eſt opus, vt in haſtis enſibúsq; videtur, multitudo ſuperat paucitatem: in eſculentis verò poculentiſque vt per panes vinúmq; figuratur paucitas multitudinem vincit, conſtat enim abſtemios crapuloſis edacibúsq; viris acrioris eſſe ingenij, & in negotijs agendis fore ſuperiores, panes autem ruſticos voco, propter formam & colorem, croceo enim colore olim fuiſſe Plinius narrat, Nam cuppæ ſcyphi ſunt, vbi vinum, & illi ſunt

ſunt panes, quos imperitè numos credunt, haſtas ſic dixit vulgus, quoniam H aſpiratio & V conuertuntur, vt heſper veſper. B autem & V ſibi inuicem ſedem prebere Græcus Latinúsq; teſtantur: vt Baſtoni haſtoni vulgò appellentur, ita vt aliquando haſtarum plerunque bipennium formam gerant, vtrunq; enim militiæ inſtrumentum eſt.

De die ortu & occaſu & de corona cæleſti & pontificatu. CAP. XXXVII.



IEM ſæpe numero nominauimus, nomen autem eſt inſtrumentum, quo aliquid cognoſcimus, vt ex Platone collegimus. vnde renouandum in mentem puto, diem dici apud Mathematicos illud temporis ſpatium, quod inter ortum occaſúmq; ſolis intercipitur, ita vt crepuſculum aut diluculum ſub appellatione diei Mathematica non comprehendatur, dies verò communiter iam eſſe dicitur, cùm illuceſcit, tenebræq; ceſſarunt, ideo in ſacris: appellauitq; lucem diem, & tenebras noctem. propter hanc igitur rationem, cùm viam Solis octo & quinquaginta minutiarum peractam volumus indi

indicare, die noctúq; id actum dicimus, & in Euangelio vt suprà habitum est à Christo dicitur, nónne duodecim horæ sunt diei. & cùm de eius ieiunio fit mentio, dicitur: cùm ieiunasset quadraginta noctibus, posteà esurijt. Rectè ergo ad hanc sententiam Virgilius.

Tres adeo incertos cæca caligine Soles
Erramus pelago & totidẽ sine sidere noctes.

vt illas ferè tres zodiaci partes à Sole peractas tridui interstitio insinuaret. sed quidam iuniores diem legitimum quatuor & viginti horarum spatio includentes, vt etiam Romani consueuerunt, Paulus enim iurisconsultus Rubrica de ferijs ait: Dies more Romano à media nocte incipit: & sequentis noctis media parte finitur. Itaque quod in his XXIIII. horis, idem duabus dimidiatis noctibus & luce media actum est, perinde est quasi quauis hora lucis actum est, reuocarunt mihi in memoriam Iudæorum consuetudinem, nam licet diem lucem, noctem tenebras appellent, simul hæc duo cùm aggregant à parte potiori diem dicunt, vnde in primo Geneseos, appellauitque diem lucem & tenebras noctem, factúmque est vespera & mane dies vnus, & secund

eundum hanc rationem etiam Matthæus Apostolus Euangelium Hæbraicæ ſcribens ait, veſpere autem ſabbati quæ luceſcit in prima ſabbati, venit Maria Magdalenæ & altera Maria videre ſepulcrum, veſpere autem ſiue veſpera, vtrunque reperitur in codicibus emendatis, ita vt more Geneſeos à nocte diem inceperit. Nam cùm Iudæi à ſabbato, quod adeò eis ſolenne eſt vt vitæ ſeptimã partem otioſam ducant, alios dies ordine nominarint, dicitur enim prima ſabbati, prima dies ſequens ſabbatum, & ſecunda, & tertia, & ſic deinceps completur ſeptimana. diem autem hanc bis in mandatis habuerunt, inter enim decem illa præcepta ſemel & alibi vbi dicitur, memento vt diem ſabbati ſantifices, credentes hanc repetitionem à diuina maieſtate factam, ob mandati excellentiam: nos autem interpretamur Deum bis hoc dixiſſe, tanquam leue & quaſi vile quod facile poſſet obliuione præteriri, ita vt ſimilè ſit inter paſtores in Bucolico certamen, vt Menalcas,

Necdum illis labra admoui, ſed condita ſeruo, propter venerationem illorum vaſorum vſum præterijſſe, & Dametas carmen

repet

repetendo propter vilitatem ſe illorum vſum neglexiſſe dixerint. ſi autem in Euangelio dicitur, veſpera autem ſabbati, quæ luſceſcit in prima ſabbati, nihil habet obſcuritatis, vt dicat nocte, quæ luſceſcit, id eſt quæ principium diei exiſtens ſtellis lucet & clara eſt, ſi autem veſpere dicitur, neceſſe eſt ad ſabbatum diem referri: dies verò incerti generis, & maſculis & fœminis in ſingulari applicatur. ſed non eſt obliuioni mandandus loquendi modus, non carens ratione, vt quidam Græcorum dictitant: dicitur enim, factúmq; eſt veſpere & mane dies vnus, ſed in ſequentibus non numeri, ſed ordinis nomina apponentur, vt dicantur, ſecundus, tertius, quartus & ſic deinceps, ad cuius etiam imitationem Plato in Timæo ait: vnus duo tres, quartus autem ô Timæe vbi'nam eſt? diem ergo noctem diémque nominamus. ſic etiam cùm quis triduo aut quatriduo abfuiſſe apud veteres dictus eſt, quis non intelligit de luce & tenebris intelligi, ſed ad hanc Iudeorum imitationem quidam Chriſtiani nomine planetarum euitare volentes ſeptimanam partiti ſunt, ita vt prima à feria, ſecunda à feria, & ſic dein

deinceps dixerint, vt feriam festum diem dominicum appellarint, à quo cæterùm ordo dependet: nam apud Latinos, nec septimanarum nec numerus mensium fuit in vsu: nam cùm dicimus decimo Augusti, vicesimo Martij, Hebræos imitamur, nam Iosephus de bello Iudaico ait, venerat dies fatalis templi qui fuit vndecimus Augusti, sed Latinitas tres dies celebres habuit, id est Calendas, Nonas, Idus, à quibus cæteri numero notabantur, vt habuimus: de die hactenus. Ortus & occasus sic. oriri tunc aliqua stella dicitur, quæ supra horizontem quocunque modo apparet: & è contrario occidere cùm non videtur siue sero siue mane, nec aliquo signo distinguitur secundum ornatè loquentes. Liuius libro decimo de bello Macedonico: Frigora nocturna maximè metuens, quæ caniculæ exortu simillima brumalibus erant: sed hic ortus Liuianus est Sole existente in capricorni parte vigesima septima, id est octauo die mensis Ianuarij, apparent autem aut cosmicè, aut chronicè, aut heliàcè. Cosmus dicitur mundus, Mundus autem est firmamentum,

id eſt octaua ſphæra, cuius ortum quidam putarunt eſſe in oriente, & tendere in occidentem, quod falſum eſt. Primum enim mobile quod antiquitas ignorauit talem habet ortum, & ſpatio quatuor & viginti horarum circumagitur: Reliqui orbes oriuntur ob occidente & tendunt in orientem, ita vt mundus ſexageſimo quoque anno ſecundum perſpicatiores vna parte moueatur, ita vt à tempore natiuitatis Chriſti ad noſtrum tempus, aliquibus partibus mota varietatem dierum noctiúmque fecerit: nam in ſolſtitio hyemali, dies maiores, noctésque minores nunc ſunt quàm olim, & è contrario in æſtiuali ſolſtitio dies contractiores longioribus quàm dudum noctibus vtebantur. ſolſtitium autem non ſine cauſa poſui, nam & ad alia ſe extendit. Coſmicus ergo ortus eſt cùm manè ex parte orientis ſtella in horizonte apparet, quem matutinum dixit antiquitas, & occaſum coſmicum, cùm ſero ad occaſum tendit, Chronicus ortus à tempore dicitur quoniam tempus nocturnum aut more Iudæorum diei principium putarunt, aut per excellentiam dixerunt,

xerunt, vt mathefeos tempus fit nox, in qua ftellæ ac planetæ videntur & cognofcuntur, cùm claritate diei omnia latitent. Cùm igitur ferò ex parte orientis fupra horizontem apparuerit chronicus ortus & cùm non eodem tempore amplius apparuerit, ita vt infra horizontem defcenderit, chronicus occafus appellatur, Latinè verò vefpertinus & ortus & occafus idem nominatur. Heliacus à Sole nomen accepit, ita vt heliacus ortus tunc dictus fit alicuius ftellæ cùm manè ante ortum Solis in oriente fupra horizontem videtur propter Solis abfentiam: & occafus heliacus putatur cùm propter Solis vicinitatem nobis ftella non apparet, Sol enim hæc facit, qui Græcè helios vocatur: nam filiæ Solis Phaëthontis forores heliades à poëtis nuncupatur: fed illa duo nomina cofmicus & chronicus apud veteres in vfu non fuerunt: heliacus verò apud Seruium & quofdam legitur, & fecundum hunc modum carmen in Georgicis intelligitur,

Gnofiaq; ardentis decedat ftella coronæ,

Corona nanque in fcorpione exiftens

præſentia Solis obtenebratur, vt pleiades coſmicè, & coronam heliacè occidere poëta velit, & cùm Eoas ad occaſum tendere pleiadas velit, vt

Ante tibi Eoë Atlantides aſcendantur
Gnoſiaq; ardentis decedat ſtella coronæ,
Debita quàm ſulcis cōmittas ſemina quamq;
Inuitæ properes anni, ſpem credere terræ.

Et hoc in loco Seruius riſum commouit, dicens, Eoas in ortu heliaco poſitas, ac ſi occaſus heliacus ad oppoſitionem Solis ſe extenderet cùm ille magis dicatur obfuſcatio, maius enim lumen, vt iam nouimus, obfuſcat minus: ortus verò & occaſus heliaci certo numero partium conſtant, quibus Solis diſtantia continetur vnde ſtellæ aut appareant aut occultentur, nam

Ante tibi Eoë Atlantides abſcondantur

rectè dicitur, pleiades enim, aut ſerò aut manè occidunt: ſerò occidunt cùm ſol poſsidet eas, manè autem occidunt, cùm non apparent: apparent autem manè Sole exiſtente in decimaquarta parte ſcorpionis, tunc enim ex parte occidentis manè videntur: ſunt enim in tauro, vult ergo Virgilius ſementem fore poſt ma-

tutin

tutinum occasum pleiadum, hoc est cùm pleiades manè non amplius videbuntur, hoc autem erit Sole XVI. scorpionis partem tenente, id est circa XXVIII. diem mensis Octobris: nam si supra terram XVI. vel circa pars scorpionis, necesse est infra terram esse tauri totidem partes, vbi pleiades locauimus: sed vt ad coronam reuertamur, ea locata, in cœlo inter sinistrum humerum & calcem dextris pedis Bootis & Herculem superposita capiti illius serpentis, quem tenet ophiuchus, id est serpentarius qui cum scorpione oritur, sed occidit cancro & leone orientibus. Nec locutio Virgiliana sit nobis admirationi, cùm stellam de pluribus dixerit, quoniam inter eas quædam lucidior est, quæ tardius occidit, ideo occasum totius expectandum cùm afferat, illam lucidiorem intellexit. Hac enim obtenebrata, cui non patet cæteras dudum latitasse, & cùm decedat ait, innuere voluit, ita ac si ibi non esset, occultetur solis præsentia: hæc autem corona maximi momenti & in genituris hominum est. Nam Genua vrbs præclarissima subiacet scorpioni, in quo vt di-

ximus corona eſt, vnde non mirum putabimus ſi Genua & ager Genuenſis fatum vrbis ſequens plurimos dignitate maxima inſigniuit, nam ætate noſtra & Nicolaum & Sixtum & Innocentium pontificem virum diuino conſilio, animo cæſareo, mente excellentiſsima maieſtate corporis, eccleſiæ augendæ, diminuendorúmq; paganorum ardore & induſtria in Chriſtianitatem ſtabiliẽdam coronauit, & aliàs etiam multos vt hiſtoriæ tradunt Genua pontifices dedit, & dabit etiam ad plures annos. Nam cùm fatum vrbis coronam regiam largiatur, attamen quia cauſæ vniuerſales impediunt: regna enim cauſas & vniuerſales quidem & tẽporis & familiæ habent, neceſſe eſt vt Aſtrologicè loquamur, Hæc vis vrbis Genuæ ad ea ſe extendat quæ ſine impedimento cauſarum vniuerſalium, quæ admodum potentes ſunt, loca & regna dare poſſunt: hinc ergo eſt quòd pontifices, quibus locus regius paratus eſt ſemper efficit. Genitura igitur hominis Genuenſis fato vrbis adiuta, ad hanc ſublimen ſedem thiarámq; ſacram deuehit, ita vt propter Romani imperij

fata

fatalem felicitatem non modo regnum adipiſcatur, ſed efficit vt reges omnes omnéſq; imperatores pontifici Romano iam ſubijciantur, imò ipſe imperator qui nomen regium dudum adſumpſit à pontifice coronatur, alioquin imperfecti ordinis eſſet, ſed de his aliàs, nam exactius omnia diſquirenda erunt, cùm dabitur facultas, in hoc enim libro ſummatim multa tetigimus, nunc ad exactiſsimam normam & nunc ad communem vſum idoneorum referentes. Quoniam motus octauæ ſphæræ Platonis Ariſtotelisq́;, & aliorum temporibus ignoratus, maximas diuerſitates efficit: quidam enim cœlorum motum diurnum firmamento adſcripſerunt, quod vt diximus falſum eſt. Mobile enim primum ab oriente in occidentem rotatur, cùm omnes alij è contrario moueantur, ab occaſu enim in ſuis excentricis in ortum ambulant: nam ſi mobile primum ſtaret videremus Solem ab occidente in orientem paulatim ire, non enim integram partem vt noſti, nocte diéq; compleret: ſed hæc quam cernimus celeritatem, non ſui ſed mobilis primi violentia accidit, omnes alios

secum rapientis, cùm illi nihilominus sursum ac deorsum agitati orbes suos pererptent, & illud Ouidij de Sole quod allegauimus,

Nitor in aduersum, nec me qui cætera vincit
Impetus, & rapido contrarius euehor orbi,

ad retrogradationem refertur, alioquin non esset verum: nam Sol vna cum alijs raptatur voluitúrque violenter, nec verum est semper illud: violentorum nullum fore perpetuum, nam si violens, vt Persij verbo vtar, perpetuitatem sortitur, etiam violentia sine fine erit perdurante illo quod violenter agitatur, non enim temerè assentiendum acquiscendúmq; est huic tam vulgatæ autoritati. Nam vt ipse acutissimus Scotus mortuos resurrecturos facile naturali argumentatione probari posse arbitratur, si tria præsupponantur, hoc est quòd anima sit immortalis, & quòd sit forma corporis, & quòd nullum violentum sit perpetuum, materia nanq; formam naturaliter appetit: & mors vt videmus, violentum aliquid est, materiam sua forma priuans: ille igitur affectus corporis ad animam aliquando secundum hanc rationem habitur

biturus est effectum, vnde inter præsuppoſita & incerta hoc quod narrauimus de violento, ab illo acutiſsimo collocatur. de immortalitate animæ inter philoſophos ambigitur, an ſit forma corporis dubitatur, cùm ea corpori, vt nauita naui, & non vt forma addatur, ſecundum Platonicos.

De Sole deuiante à Zodiaico ex miraculo, & de fabula Phaëthontis, & de diuerſitate inter nos & vitas.

CAP. XXXVIII.



AM longo tandem anfractu ad ea declarāda peruenimus, quæ diuinæ maieſtatis propriam vim ac peculiarem potentiam indicabunt, Nam cùm cuncta & maximè cœlos certis ſtatutisq; legibus crearit, vt ſeruatis ordinibus & tempora anni, & rerum omnium viciſsitudines, necnon meſſes vindemiásque cæteráq; omnia in orbe diſponant, locis & diebus præfinitis, ita vt inter alias ſeptem planetas intra latitudinem duodecim partium orbis ſignorum mouendo ſe contineant paulò vt dictum eſt Venere egrediente,

in scisione vngulæ taurinæ, in qua horoscopus piscatores efficit & Sol qui siderum princeps, illuminatórque atque mundi oculus censetur, media zodiaci via decurrens, vnam ferè signiferi partem quotidie peragat, ita vt cùm coitus luminarium sub ecliptica fuerit, ipsius defectus vario modo eueniat, ita vt pars aliquando plerunq; totus aspectibus nostris subtrahatur, non sine coloris aërij & durationis varietate: vnde miramur imperitos quosdam vsos distinctione insulsa in versu Virgil.

Defectus Solis varios Lunæq; labores,

applicantes ad labores adiectiuum, nam Sol defectum quoad nos in eclipsi patitur, sed Luna laborare dicitur, quoniam moritur ac lumine ipsa priuatur, ita vt in extremis laborare censeatur. Attamen hæc omnia diuina maiestas sibi ipsi ita reseruauit, vt cùm libuerit hunc ordinem turbet atq; confundat, ita vt planetæ, & maximè Sol qui cæterorum dux princépsq; existit, nutu iussúq; eius alia via alióq; modo decurrant: Nam cùm Moses sexcenta Iudęorum milia ex Aegypto eduxerat, ordo rerum mutatus est, & Sol

suo

ſuo recto tramite derelicto ad inſueta loca peruenit, ea enim tempeſtate Scythas frigidiſsimo loco poſitos tantus æſtus inuaſit, Sole ſuper eorum capitibus vagante,radiósq; perpendiculares iaciente, vt ſub torrida zona locati iudicarentur, & Aethiopes aliàs à ſolis ardore vexatos eo tempore mutato curſu frigus oppreſſit, nam à zodiaco Sol declinauit vt ſacra narrat hiſtoria, quam poëtæ in Phaëthontis fabulam retulerunt, de quo Plato in Timæo ait, & non fuit fabula, & Ariſtoteles in libro Meteororum, cùm candorem circuli lactei incendio Phaëthontis à quibuſdam tribui referat, hiſtoriam non refutans, aliam cauſam, vt philoſophus, aſsignauit: ſed quid hac in re tam diu immoramur, nónne diuino nutu tempore Ioſue, Solis curſus retardatus in menſe Iunio eſt, vt dies ſit duplicatus? octo enim & viginti horis ſol illuxit, duósq; vt dictum eſt dies in vnum cõfudit, & regis Ezechiæ tempore in æquinoctio autumnali factum quoq; eſt, vt ſol decem lineis retrocederet. Nam cùm iam diem compleſſet, & iam in occaſu eſſet, per decem horologij lineas

retrog

retrogreſſus, duodecim enim in æquinoctio æquales in die ſunt horæ, decem ergo lineas retrocedendo decem horas & totidem reuertendo ad occaſum conſumens diem duarum & triginta horarum effecit. Nam primus curſus duodecim, prope enim occaſum erat, deinde recurſus decem & iterum curſus totidem duas & triginta horas claritati diei vnius impendit. Ezechiæ ergo regis dies maior quàm Ioſue quatuor horis, nam in eo climate longiſsimus dies eſt quatuordecim horarum, quod nunc Alexandriæ inclinamentum vocitant: nec te illud moueat quod in libro Ioſue ſcribitur, ſtetit itaq; Sol in medio cœli, & non feſtinauit occumbere ſpatio vnius diei: non fuit antè & poſtea tam longa dies obediente domino voci hominis & pugnante Iſraël, ſed hoc intelligitur de die facto ad ſimilitudinem curſus naturæ, nam in die Ioſue, nulla naturæ contrarietas: ſed mora tantum, etiam curſum naturæ imitans fuit: eo enim tempore fuit ſolſtitium, ita vt ad eius imitationem longum in vno die tempus tenuerit: nam cùm in ſolſtitio per triduum nec minui-

tur

tur nec crescit, ita vt stare lux videatur, ita in die Iosue in solstitio existens in meridie per integrum diem moratus est: sed Ezechias Solem habuit retrocedentem ab occasu ad ortum, ita vt quasi duorum dierum motus in Sole fuerit: in Iosue verò non motus Solis sed diuturnitas meridiei diem duplicauit: maior igitur Ezechiæ regis dies ex cursu motúq; Solis, vt diximus, fuit: ibi enim statio & hîc motio diei longitudinem effecit, nisi scriptores argueremus aut per exaggerationem aut per inscitiam futurorum hæc dixisse. In Iosue enim dies qui quatuordecim hororum æquinoctialium in eo situ tunc est, duplicatur: & in Ezechiæ duabus horis exceptis, dies æquinoctialis triplicatur: in situ autem nostro vbi sexdecim horarum maximus est dies si duplicaretur, impleret diem Ezechiæ: sed his sacræ scripturæ dictis, poëtæ aliquando inspiratione musarum similia decantarunt. Nam de Atreo & Thyeste dicitur,

Cressa Thyesteo si se abstinuisset amore,
Heu quantum est vni posse placere viro,
Non medium rupisset iter curruq; retorto,
Auroram versus Phœbus adisset equis,

vt

vt Ezechiæ accidisse diximus, & illud Iosue non die sed nocte factum aiunt, cùm Iouis imperio in complexu Alcmenæ nox duplicata sit: quæ & si fabulosa sint, attamen poëtarum inspiratio diuinæ virtuti hæc & maiora contribuit, vt nutu diuino naturalis ordo, cùm libuerit permutetur. Sed hæc quæ de Iosue & Ezechia narrauimus, inter se spatium septingentorum & eo amplius annorum habuerunt, Tot enim inter vtrunq; interfuere anni, & iam nimis antiqua sunt. Nónne Plinius secundo Naturalis historiæ etiam secreti diuini miracula pandit? ait enim, Et quanam ratione cùm Solis exortu vmbra illa hebetatrix sub terra esse debeat, semel iam acciderit, vt in occasu Luna deficeret, vtroq; super terram conspicuo sydere? nam vt in duodecim diebus vtrunq; sidus quæreretur, & nostro æuo accidit imperatoribus Vespasianis patre tertium, filio iterum consulibus: hactenus Plinius. Hæc igitur quæ in actu naturæ admiranda censentur, philosophis incognita, historijs sacris relata, imperitiam quorundam coarguunt, sibi persuadentium ordines

dines naturales nullo pacto precibus ſanctorum à diuina maieſtate mutari. Sunt enim & artis magicæ immemores, de qua Virgilius,

Carmina vel Cœlo poſſunt deducere Lunam.

Sed his ſacrorum hominum dictis, & hiſtoriæ, quibus maximè creditur, & Plato aſtipulatur, & Pliniana dicta confirmant. cùm alio in loco dicat omnium rerum ſunt quædam in alto ſecreta & ſuo cuiq; corde prouidenda. Quid quòd mutantur ſæpe iudicata & diu comprenſa? Taceant ergo illi qui fidei Chriſtianæ hoſtes, Chriſti tempore Solis eclipſim miraculo accidiſſe negãt. Taceant, inquam, qui in omnibus diſciplinis plurima ambiguè & plerunq; falsò narrari negant. Non enim nos ita acuto ingenio ſumus, vt hæc percipere valeamus. Intellectus nanque noſter, cùm tribus vt ita dicam miniſtris vtatur, quæ inſpectiuæ conſiderationi ſuffragantur, non niſi per animi viſa quæ Græci phataſmata nuncupant valet intelligere: illarum enim miniſtrarum alia cogitat, alia imaginatur, tertia verò meminit, his igitur tribus adminiculantibus quæcunque percipit

intell

intelligere iudicatur. Hæc cùm corporis ſint, molémque humanam teneant, mentem aciémque ingenij hebetant & obtundunt. Spiritus autem, hoc eſt vitæ cœleſtes, corporum grauium exortes: ſui ipſarum eſſentiam cognoſcentes ſpecies alias nullo phantaſmatum adminiculo rectiſsimè tenent, nihil enim ineis accidentium eſt. Sed intellectum quem patibilem Latinè dicere poſſumus,non niſi accidentia perficiunt: Nam cùm res extrarias optima ratione comprendit, & in ſe ordine prænarrato recipit, vnde ſimilitudinem aucupans ſemet ipſum cognoſcit: de ſeipſo igitur ſcientia non ab eius eſſentia, ſed ab exterioribus naſcitur: hinc ergo eſt quod ſui ipſius agnitionem tribuunt accidentia. Sic enim ſecum ratiocinabitur, dicétq; ſe non eſſe aliud niſi rerum ſpecies, in eo quod illas à materia ſeiungit. Hæc ergo eſt noſtra cognitio. Sed vitis illis quas intelligentias vocant, idem eſt intellectio & intellectus, cum in nobis longè diuerſa ſint, nam non niſi longo ſtudio, diuturna cogitatione, labore immenſo omnia percurrendo & nunc ſe-

par

parando, nunc coniungendo rem percipere possumus, ita vt actus intelligendi, & ipsa rerum perceptio in nobis diuersa fiunt. Illis verò & quod intelligitur, & modus intelligendi, & ipse intellectus vnum & idem sunt. Tales igitur vitæ quæ nobis abstrusa sunt, & quorum imagines elicere nequimus in se habent: Nam seipsas intelligendo illa quoque intelligunt sine extrario adminiculo, rectè igitur philosophi sentiunt, cùm aiunt, huiuscemodi vitas alio modo quàm nos intelligere: nos enim vocem sine ictu aëris fieri posse negamus: attamen illæ & vocem & alia, quæ vocis miranda apparent, sine re corporea fieri noscunt: nam sine oculis vident, sine manibus palpant, sine naribus odorant, sine gutture linguâque loquuntur, & clamant & sine loco sunt, nam communis animi conceptio, apud doctos est, teste Boëtio, incorporea in loco non esse, quod quidem dictum offendit, vt locis maximè inter se distantibus vno instanti esse possint: nam sicut nos cogitatione & agitatione mentis sine interuallo & Romæ & Memphi esse possumus, ita vitarum

ſpirituúmque natura cenſetur. His igitur poëta ſimiles eſſe quaſdam imagines teſtatur decimo Aeneidos.

Tũ dea nube caua tenuẽ ſine viribus vmbrã,
In faciem Aeneæ viſu mirabile monſtrum,
Dardanijs ornat telis clypeumq́; iubamq́;
Diuini aßimilat capitis, dat inania verba,
Dat ſine mente ſonum greſſusq́; effingit eũtis,
Morte obita, quales fama eſt volitare figuras.

Vmbre igitur corporum noſtrorum à Virgilio tales putantur. veruntamen inter vmbram, ſimulacrum & animam qui exactiſsimè loquuntur ponunt differentiam, animam enim eſſe immortalem, vmbram verò & ſimulacrum diu ſed non ſemper durare aſſeuerant: Beatus enim Auguſtinus ex ſententia antiquorum refert quòd anima noſtra ex corpore, in quo eſt, elicit ſibi quaſi quoddam veſtimentum, hoc eſt ſimulacrum corporis, habens ſimilitudinem & vmbram corporis, cui aliquando diuerſus ab anima locus à Dijs immortalibus tribuitur: Nam cùm Hercules hoc eſt anima eius cælum petierit, intérq; ſuperos numeretur: attamen eius ſimulacrum, vt Seruius quoq; refert, viſum fuit apud

apud inferos, Et Virgilius sexto Aeneid.

Nũc age Dardaniã prolẽ, quæ deinde sequatur

Gloria, apud inferos in campis Elisijs esse commemorat: & in septimo de autore nominis ait:

Dardanus Ideas Phrygiæ penetrauit ad vrbes

Treiciáq; Samũ quæ nũc Samothracia fertur

Hinc illum Corithi tirrhena à sede profecta

Aurea, nunc solio stellantis regia cæli

Accipit & numerũ diuorũ altaribus auget.

Hoc igitur simulacrum quasi quoddam vestimentum à corpore, vt animæ extractum efficit, vt anima videri posit secundum veteres: nam mortuo Cæsare Augusto, cùm eius corpus cremaretur, Suetonius ait: Ac Senatorum humeris delatus in campum crematúsq;: nec defuit vir prætorius qui se effigiem cremati euntem in cælum vidisse iuraret. Effigies ergo & imago & simulacrum & vmbra pro eadem sæpe à poëtis ponuntur, Virgilius:


Infelix simulacrum atq; ipsius vmbra Creusæ

Visa mihi ante oculos & nota maior imago.

Et nunc magna mei sub terras ibit imago.

Nonnunquàm verò, & hæc cum anima simul intelliguntur.

De quibusdam Emendatoribus.
CAP. XXXIX.



IMPOSITVRVS promiſcuæ doctrinæ libro finem Medice Laurenti, vnum commemorabo quod ad familiæ tuæ nomen pertinet, Nam quod medicorum eſt promittunt medici, tractant fabrilia fabri, vt iam dictum eſt, vnde peritiæ medicorum eſt nō modo morbos, iam graſſantes expellere, ſed etiam venientes ac futuros præcauere. Periculum nanque poſteris inſtat, ex nonnullorum audaculorum imprudentia, qui vetuſtorum autorum dicta ſine cauſa interuertunt, emendationem librariorum profitentes, ita vt non literas & ſyllabas tantum, ſed integras dictiones & plerunquæ orationes mutent, quod profectò periculoſi exempli eſt: quis enim ſanæ mentis Virgilianos verſus etiam eos qui aut obſcuritatem aut incongruam metri quantitatem habent, permutare audebit? nam hæc quæ ſparſim in Marone ſunt, vt,

Inſulæ Ionio *in magno*, &,

Inter ſe coiiſſe viros, & decernere ferro, &,

An qui amant ſibi ſomnia fingunt

pro

pro testimonijs, aduersus scriptores artis adducimus,& non emendamus,nec vitio librariorum facto causamur: sed isti quos retuli & Plauti & Ouidij & Ciceronis & maximè Propertij plurima immutarunt, quæ maximum volumen expostularent si daretur otium, nunc satis est admonuisse, vt posteri cautius negotientur. Nam duo quæ mihi occurrunt digna risu referam in Propertio emendata, In prima quarti libri elegia, vt more eorum loquar vbi dicitur:

Et Tybris nostris aduena tutus erat:

posuerunt bobus erat,& in eadem,

Pastor & ad calamos excalitabat oues:

Dixerunt *exta litabat ouis,*

Cui non mouerent huiuscemodi emendationes risum, cùm tam imprudenter fiant? emendationes siquidem librario rum,& non autorum tunc militant, cùm aut sensus non quadrat, aut in poëmate quantitas repugnat, aut sibi ipsi dissidet, aut artem non sequitur, & tales, aut ex facili literarum aut syllabarum mutatione etiam cum hæsitatione faciendæ sunt vt si amentes legeremus vbi amantes ratio metri expostularet, & si autoris ser-

mo ita perplexus esset, vt ordine dictionum translatarum clarior sine additione fieret, & hoc quoque vix tolerandum esset, sed si eo dementiæ deueniretur, vt integra mutaretur oratio autoris nomen mutetur necesse est, ita vt in eo loco non Propertius sed alius loqui dicatur, & ne diutius hac in re immorer, Sensus & quantitas in Propertio clarescunt: dicit enim tempore illo vetustissimo Romanus locus eas habuit, quas refert conditiones inter quas & hæc erat, Quod Tibris erat nostris id est regionis ciuitatisq; nostræ iuris tutus, hoc est neminem lædens. Tibris enim rex Tuschorum fuit qui iuxta fluuium quem Tibrim postea dixerunt, latrocinatus est, crebrásq; iniurias transeuntibus intulit, vt inter opiniones refert Seruius in octauo Aeneidos. ea igitur tempestate aduena Tibre, Tuscus enim erat, non exercebat aduersus nostros latrocinium, nec iniurias, vnde nomen adeptus est, hybris enim iniuria est, & hinc Tybris dictus. nec te moueat illud quod fortasis turbauit istorum mentem, nam tutus, falsus, audax & mille talia actiuè & pasiuè dicuntur,

in Terentio: falsus es, pro deceptus, & in Iuuenale Phalaris licet imperet vt sis falsus, id est decipiens: & Salustius, ambitio multos mortales falsos subegit, & in Ouidio vbi Vlysses Aiaci respondet.

Si quid adhuc audax ex præcipitiq; petēdum, passiuè ponitur cùm audax actiuè vbiq; occurrat. Sed in secunda emendatione essent aliquantisper castigandi, cùm aduersus artem grammaticam sentiūt, nam litare est precari & placare deos. Virgil.

Tu modo posce deos veniam, sacrisq; litatis
Indulge hospitio.

Cùm igitur dij placati fuerint hospitio suscipe, & ideo in his duobus verbis aut datiuo, aut accusatiuo vtimur, dicimus enim, lito te & tibi, Lucanus,

-Neq; enim tibi summe litaui
Iupiter. Sic præcor te (& hoc notum) & tibi, Virgilius:

Maximè Graiugenū, cui me fortuna precari
Iußit. Dicimus ergo lito deos extis & sacrificijs casu septimo, & non lito exta nec sacrificia: deos enim & sacra numina placamus, non exta sed extis Dij placantur. Virgilius secundo Aeneidos,

-Animaq; litandum

Argolica. Persius:

Hæc cædo vt admoueā tēplis & farre litabo.

& in eo opuſculo quod in manibus puerorum eſt,

Ne credas placare Deum cum cæde litatur.

Ex his igitur optimè declaratur, litare ad deos non ad exta vel ſacrificia pertinere: quis enim vnquam dixit ego precor exta, ego lito boues, ſed extis precor & bobus lito, vel victima litat deos dicitur, ſunt enim hæc vt inſtrumenta ad Deorum mentes flectendas, morbida vel quæ defertur victima non litat, paſtor igitur oues ſuas excalitabat, hoc eſt, vocitabat, id eſt cantu calamorum (ſic enim fiſtula vocata eſt, vt,

Ludere quæ vellem calamo permiſit agreſti)

vocabat: nam ſonitus & ad potum & ad alios quoq; actus bruta inuitat: vocabat inquam vt luſtrarentur, ſicuti de more antiquorum erat, calo enim voco eſt, vnde & Calendæ dictæ ſunt, à quo frequentatiuum rectè poſuit Propertius, quia arietem ſiue ouem vnam motam cæteræ ſubſequuntur, vt rerum natura fert, & cùm Calendas ſacras aduertit antiquitas, Calitare verbum quaſi ad ſacra inui

inuitare ſignificat. Ex autem in compoſitione & auget, & extra ſignificans, excalitare oſtendit, quaſi è grege aut è caula euocare, vt ad ſacra veniant, Calare autem vocare eſt teſtimonio Feſti cùm calatores quid ſit declarat, & Calendas à calando, id eſt vocando dictas aſſerit Nonius. Cautè igitur & in Plauto & in Propertio cæteriſq; ſic deprauatis incedendum eſt, hoc enim, vt diximus exemplum periculoſum putatur. Nam ſi hoc liceret & conſuetudo admitteret, omnia ruerent: cùm & ipſa Euangelia, vbi fundamenta veritatis ſubſiſtunt, ſi dictiones vel orationes mutare permitterent, ſtatim veritas euaneſceret, & ſi in tabellionum inſtrumentis aut hiſtorijs talia fierent, veteres poſſeſſores excluderentur, & inuictos pro victis haberemus: vnde Magnifice Laurenti, familiæ tuæ hoc onus incumbit, vt quos praua emendatio inuaſit, tuo medicamento recipiant ſanitatem, ne leges, & inſtituta maiorum, ne optimi mores integritáſq; linguæ, diſſiplinarúmque ſynceritas obliterentur, & obſoleſcant, nec Philoſophorum turba langueſcat: nam ſi dictiones in Ariſtote-

licis dictis mutauerimus, & beatus Thomas, & Magnus Albertus acutissimúsq; cum Auerroide Scotus infantissimi, iterúmq; ad præceptorem remittendi putabuntur. Nam si negationem sustulero quod â philosopho affirmatur, nouum dogma constituam, quod & ipse rediuimus Aristoteles abhorreret, & si in Prima Philosophia, vbi ponitur omnes homines natura scire desiderant, additione syllabæ emendauero, ita vt nescire desiderent dicatur, quiuis iudicet quale dogma nascetur. Hoc igitur opus magnifice Laurenti nomini tuo dicatum de promiscua Doctrina ea in se continet, vt quiuis certæ disciplinæ addictus quæ etiam non profitetur facilè intelligat: Communia enim sunt, sed cùm consummatum hominem efficere volemus, me volumen, quod artis complementum habeat in qualibet disciplina scripturum polliceor: quod te mandante, cùm opus erit aggrediar: fauore enim & auxilio tuo omnia leuia nobis apparebunt. Te nanq; vnicum literarũ lumen fautorémq; summum ætas nostra producit. Quis enim studijs nisi studiosus fauet? Quis item scri

ſcriptores rerum geſtarum conſeruatores colit, niſi is qui ea egit, quæ poſteritate & celebrimemoria digna ſunt? vitia enim & virtutes idonei ſculptores illuſtrant & ætas noſtra antiquitate felicior eſt, cùm minimo impendio plurima volumina conſcribantur, ita vt & induſtria & diſciplinæ immortalitate donentur.

CALEOTTI MARTII

Narnienſis liber de Doctrina promiſcua ad Magnificum Laurentium medicum explicit.

*

